SYNODUS DIOECESANA STI LUDOVICI TERTIA

1896

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

SYNODUS

Dioecesana Sti Ludovici

TERTIA,

habita die 8. Septembris

Anno Domini 1896

a Rev^{mo} et Illmo

Joanne Josepho Kain,

Sti Ludovici Archiepiscopo.

The Catholic Theological Union LIBRARY Chicago, Ill.

FRANCISCAN LIBRARY 3140 Meramec St.-ST. LOUIS 3

STI LUDOVICI.

Apud Cancellariam Dioecesanam.

1897.

I.

ACTA SYNODI.

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
CARLI: Consortium of Academic and Research Libraries in Illinois

http://archive.org/details/synodusdioce00cath

I.

Acta Synodo Praevia.

Sub initio mensis Novembris 1895 Rmus. ac Illmus. Archiep. Joannes Josephus Kain selegit septemdecim sacerdotes, quam saeculares tam regulares, qui commissionem generalem praeparatoriam pro Synodo, anno proximo habenda, constituerent ; vid. sequentes :

1. Rev. Th. P. Brown, C. SS. R.
2. Rev. Gul. Faerber.
3. Rev. E. Fenlon.
4. Rev. E. I. Fitzpatrick.
5. Rev. P. Joh. Gafron, O. S. F.
6. Rev. Fr. Goller.
7. Rev. J. Grimmelsman, S. J.
8. Rev. P. Hanley, C. P.
9. Rev. J. Hessoun.
10. Rev. F. G. Holweck.
11. Rev. D. W. Kenrick, C. M.
12. Rev. J. J. McCabe.
13. Rev. Dr. J. H. May.
14. Rev. E. J. Shea.
15. Rev. M. W. Tobyn.
16. Rev. Gul. Walsh.
17. Rev. Car. Ziegler.

Die 19. Nov. 1895 in Aulis Seminarii Kenrickani primus eorum congressus habitus fuit, praesidente ipso Revmo Domino, qui illos de officiis et de modo procedendi instruebat.

Ad laborem diminuendum et ad opus eorum expediendum, Revmus Archiepiscopus tres ex toto numero deputavit in commissionem specialem, vid.: Revdos Dominos Gulielmum Faerber, Eduardum I. Fitzpatrick et Joannem H. May, qui diligenter omnia praeparanda exararent, de quibus postea in comitiis generalibus esset disputandum; iisque mandavit, ut tot coetus singulos ex toto numero constituerent, quot capita principalia essent describenda.

In prima hujus commissionis specialis sessione, sequentes subcommissiones, Revmo approbante, fuerunt selectae:

I. De Cura et Zelo Animarum:

Adm. Rev. Dom. Gul. Walsh,
Rev. Dom. Fr. Goller et
Rev. P. Petrus Hanley, C. P.

II. De Recta Juventutis Institutione:

Rev. P. Thomas P. Brown, C. SS. R.,
Revdi Domini Eduardus Shea et
Fr. Goller.

III. De Cultu Divino per Annum:

Adm. Rev. Dom. Josephus Hessoun et
Rev. Dom. F. G. Holweck.

IV. De Sacramentorum Administratione:

Rev. Pater Jos. Grimmelsman, S. J.,
Revdi Dom. Ed. Fenlon et
J. J. McCabe.

V. De Matrimonio in specie:

Rev. P. Joannes Gafron, O. S. F. et
Rev. Dom. Carolus Ziegler.

VI. De Temporalibus:

Rev. Dom. M. W. Tobyn et
Rev. P. D. W. Kenrick, C. M.

Postea capita ab his subcommissionibus elaborata, per commissionem specialem breviter in schemata redacta et typis impressa, omnibus sociis commissionis generalis transmissa fuere, ut iis satis innotesceret, quae in comitiis generalibus forent tractanda.

Capitibus ita bene praeparatis, comitia generalia haberi coepta fuere, in quibus de singulis proponendis studiose et iterum iterumque disserebatur.

Post octo circiter sessiones, statuta proponenda elaboratiora typis impressa omnibus communicata, et in duabus sessionibus posterioribus in formam ultimam sunt redacta.

Hisce omnibus a Revmo recognitis et emendatis, proponenda in forma libri imprimi, et ad omnes hujus Dioceseos sacerdotes transmitti Revmus jussit, una cum sequentibus documentis :

Revde Dne :

Cum Sedis Apostolicae auctoritate Nobis licet indignis commissa sit administratio hujus Archidioceseos, Nostrum esse duximus cunctos sacerdotes Nostros quamprimum in Synodum diocesanam convocare, ut, eorum consilio adhibito, ea sanciantur quae ad fidem et pietatem magis magisque promovendam conducunt.

Quapropter has litteras ad omnes et singulos sacerdotes Nostrae ditioni subjectos mittendas curabimus, quibus jubemus eos ad istam synodum hora nona diei octavi Septembris, (Festo scilicet Nativitatis Beatissimae Mariae Virginis) in aula Seminarii Kenrickani aperiendam se collaturos esse.

Datum apud Sanctum Ludovicum hac die octava mensis Julii, 1896.

† *Joannes Josephus Kain,*
Archiep. Sti Ludovici.

Rev. Dear Sir:

If after reading over the inclosed Statuta Proponenda, you have any observations to make upon them, it may facilitate business to have the observations reduced to writing and sent at least one week before the opening of the Synod, to one or other of the Procuratores Cleri namely: Rev. James J. McCabe, 2336 University St., or Rev. F. G. Holweck, January and Magnolia Aves.

Yours truly in Christ,

✝ *John J. Kain,*
Abp. of St. Louis.

St. Louis, Mo., July 13th 1896.

St. Louis, July 8, 1896.

Rev. Dear Sir:

You are requested to fill up the inclosed blank, by inserting the names of nine priests from whose number you wish three of the Diocesan Consultors to be selected. Read Tit. II, chapter II. of the III. Plenary Council of Baltimore, especially No. 19.) Affix your name and send before September 1st, 1896 to Rev. J. H. May, D. D.. 3949 Iowa Ave., St. Louis, Mo.*

No ballot will be counted unless the signature of the one casting it, has been affixed.

Yours truly in Christ,

✝ *John J. Kain,*
Archiep. Sti Ludovici.

*) "Eligendi erunt consultores ab Episcopo, ea tamen ratione, ut dimidiam eorum partem eligat ex sese, alteram vero partem nonnisi post propositionem cleri. Propositio autem ex parte cleri fiet hoc modo: singuli sacerdotes qui in dioecesi sacro ministerio funguntur, Episcopo exhibebunt nomina eorum scripta, quos pro munere consultorum idoneos putaverint, quin taxative aliquos designent. Pro unoquoque seligendo consultore tria nomina proponi debent; ex his vero Episcopus eos eliget, quos ipse in Domino aptiores judicaverit."

Paucissimae tantum, et a parvo numero Synodalium objectiones et emendationes propositae fuerunt; quas quidem Revmus, die Synodo praevia, commissionis generalis judicio iterum submisit.

Omnibus bene perpensis, aliisque ab ipso Revmo adjectis et proprio loco insertis, commissio opus suum demum absolvit.

II.

Acta in Synodo.

Festo Nat. B. M. Virginis, quae erat dies 8. et feria II. secundae hebdomadis Septembris 1896 synodales convenerunt in sacello Seminarii Kenrickani, ubi hora IX. Rmus Archiepiscopus Missam Pontificalem sine cantu celebravit, assistentibus Revmo Henrico Muehlsiepen, Vicario Generali et Adm. Revdo Dom. Gul. Walsh.

Reliqua e Pontificali Revmus D. Vicarius Generalis, de mandato Revmo peregit. Quibus absolutis, R. D. Promotor rogavit Rmum ut Synodum pro hac die rite convocatam, nunc aperiendam et jam apertam esse decerneret. Annuit Revmus, tradendo secretario documentum pro Synodo aperienda, ut illud legeret. Fuit autem tenoris sequentis:

"In Nomine SSmae et Individuae Trinitatis, Nos, Joannes Josephus Kain, Dei et Apostolicae sedis gratia, Archiepiscopus Sti Ludovici, ad omnipotentis Dei majorem gloriam, et in honorem B. V. M., sine labe originali conceptae, horum Statuum Foederatorum Patronae primariae, ad laudem Sti Ludovici hujus Dioecesis Patroni, necnon ad augmentum Catholicae Fidei, atque ad disciplinae sanctae decorem promovendum, hanc Synodum diocesanam Sti Ludovici tertiam, quam auctoritate Nostra, edicto die octavo Julii hujus anni indiximus, ut legitime convocatam et congregatam, hoc ipso die festo Nativitatis B. V. M. aperiendam esse decernimus, et nunc jam apertam esse declaramus.

Per Christum Dominum Nostrum."

Lecto hoc decreto, nomina officialium hujus Synodi promulgata fuerunt, scil:

1) Promotor: R. D. Gul. Faerber.

2) Judices Quaerelarum et Excusationum: Revmus Dom. H. Muehlsiepen, V. G., Adm. R. D. Gul. Walsh, Rev. D. G. Kenrick, C. M.

3) Procuratores Cleri: Revdi Di. J. J. McCabe et F. G. Holweck.

4) Secretarius: Rev D. Joannes H. May, D. D.

Instante R. D. Promotore, Revmus Archiepiscopus omnes synodales ad professionem fidei Trident. emittendam, invitavit. De mandato autem Revmi secretarius, nomine coeterorum, hanc professionem alta voce recitavit, usque ad verba: "Ego idem N. N. spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia": quae quidem a singulis, coram Revmo in faldistorio ante altare sedente, in genua provolutis et sacrosancta Evangelia tangentibus fuerunt pronuntiata.

Professione fidei facta, R. D. Promotor petiit pro vocatione nominum invitatorum, admonens secretarium, ut absentes diligenter adnotaret.

Vocationi sequentes responderunt:

1) Revmus Dom. Henricus Muehlsiepen, Vicarius Generalis.
2) Admodum Rev. Dom. Gul. Walsh, RectorEccl.S.Brigidae.
3) " " " Josephus Hessoun, Rector Eccl. S. Joannis Nep.
4) " " Pater P. V. Byrne, Praeses Seminarii Kenrickani.
5) " " " Ferreolus Girardey, C. SS. R., Provincialis.
9) " " " Erasmus Gloeckner, C. P., Rector.
7) " " " Paulinus Tolksdorf, O. S. F., Guardianus.
8) " " " Patricius Barett, C. SS. R., Rector.
9) " " " Jos. Grimmelsman, S. J., Praeses Univers. S. Ludovici.

Revdi Dom. Adrian, H. J., Assistens Eccl. SS. Trinitatis.
Bachmeyer, J. B., Frankenstein.
Bahr, M. J., Assist. Eccl. de Perp. Succ. B. M. V.
Benten, B. J., Wardsville.
Berry, E., Armagh.
Bertens, J., Dutzow.
Beth, Joh., Assist. in Westfalia.
Bettels, F., Leopold.
Boehm, Fr., Festus.
Bradley, P., Assist. Eccl. SS. Cordis Jesu.
Brand, G. H., Neier.
Brand, F. M., Shrewsbury.
Bremerich, P., Rect. Eccl. Sti Bernardi.
Brennan, M. S., Rect. Eccl. Sti Laurentii O'Toole.
Brockhagen, H., O'Fallon.
Butler, T. A., Rect. Eccl. Sti Cronani.
Byrne, C. E., Assist. Eccl. Stae Brigidae.
Byrne, P. J., Assist. Eccl. Stae Teresiae.
Cahill, P. B., Macon.
Canning, Ch., Assist. Eccl. SS. Nominis Jesu.
Carroll, Ph., Millwood.
Casey, E. A., Montgomery City.
Clarke, D. W., Poplar Bluff.
Coffey, J. T., Rect. Eccl. Sti Joannis Ap. et Ev.
Connolly, J. A., Rector Eccl. Stae Teresiae.
Cooney, P. J., Canton.
Coyle, E., Rector Eccl. Cathedralis.
DeCeunynck, D. L., Belgique.
Dempf, A., Assist. Eccl. Sti Francisci Salesii.
Dempsey, E. J., Mexico.
Dempsey, T., Assist. Eccl. Assumpt. B. V. M.
Dette, F. A., Viessman.
Diel, J. F. M., Secretarius Rmi D. Vicarii Generalis.
Diepenbrock, F. A., Westphalia.
Dillon, J. J., Byrnesville.
Donovan, D. A., Poplar Bluff.
Dooley, P., Rector Eccl. de Ass. B. M. V.
Ernst, F. J., Assist. in Hannibal.
Ernst, J. C., St. Peters.

Faerber, Gul., Rector Eccl. Stae Mariae de Victoriis.
Feltman, J. T., Mehlville.
Fenlon, E., Rector Eccl. B. M. V. de Visitatione
Fitzgerald, J., Edina.
Foley, J. T., Assist. Eccl. Sti Kevini.
Fugel, J., Assist. Eccl. Sti Augustini.
Furlong, J. J., New Madrid.
Gadell, J.L.,Capellanus in Hospitio Alexianorum.
Gallaher, E. T., Indian Creek.
Garthoeffner, A., Assist. Eccl. B. M. V. de Victor.
Geers, H. B., Assist. Eccl. SS. Petri et Pauli.
Gilfillan, Fr., Assist. in Sacello Pro-Cathedrali.
Girse, J., Assist. Eccl. Stae Agathae.
Glingler, J. A., Pacific.
Gnielinski, F., Rect. Eccl. Sti Casimiri.
Goller, Fr., Rect. Eccl. SS. Petri et Pauli.
Granville, J. B., Assist. Eccl. Sti Cronani.
Groll, F., Assist. Eccl. SS. Petri et Pauli.
Gross, P., Potosi.
Gruender, J., Loose Creek.
Haar, J. L., Martinsburg.
Harty, J. J., Rector Eccl. Sti Leonis.
Helmbacher, M. J., Bloomsdale.
Hennes, J., Salisbury.
Hoehn, G. W., Starkenburg.
Hoffmann, J. A., Rector Eccl. Sti Henrici.
Holweck, F. G,, Rector Eccl. Sti Aloysii.
Holtschneider, A., Assist. Eccl. Sti Nicolai.
Hoog, O. J. S., Jefferson City.
Huckestein, H., Rector Eccl. Sti Augustini.
Huettler, A. J. H., Rector Eccl. Sti Spiritus.
Hughes, J. J., Louisiana.
Hundhausen, F. R., Cottleville.
Hussmann, H., Charleston.
Jaegering,H., Capell. in Hospitio Sororum B.M.V.
Jasper, A. A., Assist. Eccl. Sti Petri, St. Charles.
Jones, F. J., Rector Eccl. Sti Columbae.
Kane, C. J., Assist. Eccl. Stae Teresiae.
Kane, P. J., Webster Groves.

Keilty, F., Rector Eccl. SS. Angelorum.
Keller, C., Assist. Eccl. Sti Bernardi.
Kellersman, H., Koeltztown.
Kern, E., Jackson.
Kernan, L. J., Assist. Eccl. Sti Pauli Ap.
Kister, H. L., Assist. Eccl. Sti Liborii.
Klein, F., Kelso.
Klevinghaus, W., Assist. Eccl. SS. Petri et Pauli.
Koob, G., Oran.
Krainhardt, B. T., Josephsville.
Krieger, J. F., Uniontown.
Kroeger, Jos., Assist. Eccl. SS. Trinitatis.
Kuennen, H. A. B., Perryville.
Kurtenbach, G. W., Flint Hill.
Kurtenbach, W., Assist. Eccl. Sti Bonifacii.
Larche, L. N., Old Mines.
Lavery, D. J., Rector Eccl. SS. Rosarii.
Lemkes, E. J., Manchester.
Long, J. L., Assist. Eccl. Sti Joannis Ap. et Ev.
Lotz, P. J., Rector Eccl. Sti Francisci Salesii.
Lubeley, J., Assist. Eccl. Sti Henrici.
Lyons, J., Assist. Eccl. Sti Leonis.
McCabe, J. J., Rector Eccl. SS. Cordis Jesu.
McCabe, M. S., Assist. ejusdem Eccl.
McCaffrey, J., Rector Eccl. Sti Patricii.
McDonald, O. J., Assist. Eccl. Stae Brigidae.
McFaul, M., Assist. Eccl. Cath.
McGlynn, J. J., Rector Eccl. Stae Rosae Limanae.
McLoughlin, M. J., Hannibal.
McNamee, P. J., Rector Eccl. Sti Jacobi.
May, J. H., D. D., Rector Eccl. Sti Thomae Aq.
Mayer, A., Linn.
Minges, H., Lawrençeton.
Moenig, C. J., Silver Lake.
Moran, T., Capell. in Orphanotrophio St. Jos.
Mueller, C., St. Thomas.
Muehlsiepen, J. H., Weingarten.
Mullen, T., Assist. Eccl. Sti Michaelis Arch.
Nekula, J., Assist. Eccl. Sti Joannis Nep.
Nieters, H., Rector Eccl. Sti Bonifacii.

Noonan, W., De Soto.
O'Brien, J. J., Assist. Eccl. Sti Leonis.
O'Donohoe, P., Rect. Eccl. B. M. V. de Bono Consilio.
O'Loughlin, P., Rolla.
O'Reilly, A., Farmington.
O'Reilly, J. J., Baring.
O'Reilly, P. F., Columbia.
Orfei, N., Assist. Eccl. Sti Columbae.
† Pauk, A., Rector Eccl. Sti Engelberti.
Pigge, H., Zell.
Phelan, D. S., Rector Eccl. B. M. V. de Monte Carm.
† Pruente, E., Rector Eccl. B. M. V., CapeGirardeau.
† Quigley, P. F., Assist. Eccl. Sti Laurentii O'Toole.
Randall, Wm., Assist. Eccl. Sti Malachiae.
Reiss, G. A., Rector Eccl. Sti Liborii.
Rensmann, W. J., Portage des Sioux.
Reuther, J. F., Creve Coeur.
† Rothensteiner, J., Fredericktown.
Ruesse, Fr., Assist. Eccl. SS. Petri et Pauli.
Rupprechter, Max, Assist. Eccl. in St. Johns.
Ryan, J., Rect. Eccl. Sti Joannis Bapt., Moberly.
† Schaefer, C. H., Sullivan.
Schaefer, A. H., Riviere aux Vases.
Schaefers, Jos., Rector Eccl. Sti Nicolai.
Schilling, A., Rector Eccl. B. M. V., de Perp. Succurso.
† Schlathoelter, B. H., Jonesburgh.
Schlathoelter, L., Rect. Eccl. Imm. Conc., Moberly.
† Schlefers, Ch., Assist. Eccl. Sti Liborii.
Schmidt, Jos., Taos.
Schmidt, W. A., Dardenne.
Schneiderhahn, M., Assist. Eccl. Sti Franc. Sal.
Schrage, H., Rect. Eccl. Stae Agathae.
Schramm, J., Rect. Eccl. Stae Barbarae.
† Schroeder, Jos., Rect. Eccl. SS. Trinitatis.
† Schulte, F. H., Maxville.
Schulte, Wm., Assist. Eccl. Sti Augustini.
Schulz, J. A., Troy.

† Sennerich, Sebast., Sacellan. Conventus, Sti Joseph, O'Fallon.
Sevcik, M. T., New Haven.
Shaw, H., Assist. Eccl. SS. Angelorum.
Shea, E. J., Rector Eccl. Sti Kevini.
Shea, W. L., Assist.Eccl. de Visitatione, B.V.M
Sheil, J., Assist. Eccl. Stae Rosae Limanae.
Shields, J. T., Rector Eccl. Sti Mathaei.
Smith, C. P., Rector Eccl. Stae Agnetis.
† Stanowski, Urb., Rector Eccl. Sti Stanislai.
Stemker, B., Kirkwood.
Stepka, V., Assist. Eccl. Sti Stanislai.
Stolte, B., Assist. Eccl. Sti Liborii.
Strombergen, J. A., St. Johns.
† Sudeik, J. B., Old Monroe.
† Tallon, P. W., Rector Eccl. SS. Nominis Jesu.
Tannrath, J. J., Assist. Eccl. Sti Joannis Ap. et Ev.
Tettemer, J., in Universitate, Washington, D. C.
Thobe, H., Glasgow.
† Tintrup, C., St. Paul.
Tobyn, M. W., Rector Eccl. SS. Mariae et Joseph.
Toomey, J. J., Assist. Eccl. Sti Patricii.
Tracey, J. A., Assist. Eccl. Sti Laurentii O'Toole.
Tuohy, J. T., Rect. Eccl. Sti Pauli.
Van Tourenhout, C. L., Assist. in St. Genevieve.
Vassal A., Professor in Sem. Kenr.
Von Brunn, A., St. Marys.
Walsh, M., Glencoe.
Walsh T. J., Assist. Eccl. Stae Brigidae.
† Watson, J. R., Assist. Eccl. Cathed.
† Waeltermann, J., White Church.
Wentker, Jos., Elston.
† Wernert, L. C., Arcadia.
† White, J., Rector Eccl. SS. Innocentium.
† Wigger, P. Rector Eccl. SS. Crucis.
Willmes, F., Rector Eccl. Sti Petri, St. Charles.
Woods, P., Richwood.
† Wynne, E. J., Rector Eccl. Sti Eduardi.

Revdi Patres Albers, Fr., O. S. F., Sti Antonii.
Barnwell, N. J., C. M., Perryville.
Brown, T. P., C. SS. R., Rector Eccl. Sti Alphonsi.
Bronsgeest, H. S. J., Rector Eccl. Sti Francisci Xav.
L. Etten, S. J., Florissant.
Gaffron, J., O. S. F.
Garacan, Vin. C. P.
Guendling, A. J., C. SS. R., Kirkwood.
Hillman, F. J., S. J.
Janssen, Am., O. S. F., Herman.
Kenrick, D. G., C. M., Rector Eccl. Sti Vincentii a Paulo.
Meuffels, J. H., S. J.
Sinn, J. E., C. M.
Schwarze, A., O. S. F., St. Louis.
Stotter, Herbert, O. S. F.
Speich, M. F., S. J., St. Louis.
Teroerde, Paul, O. S. F., Washington.
Vallazza, F. J., S. J., Rector Eccl. Sti Joseph.

Abfuerunt

Legitime excusati.

I. E Clero Saeculari.

Acker A.
Aertker, H. S.
Bleha, C. A.
Brady, Rich.
Busch, M.
Bourke, J.
Cooney, Thos.
Fitzpatrick, E. I.
Grosholz, M.
Hayes, R. J.
Jackson, J. B.
Kern, J. B.
Matousek, Rud.
O'Leary, C. F.

O'Reilly, B. X.
O'Rourke, P. J.
O'Shea, J.
Orf, Sim.
Pommer, Fr.
Pope, Jos.
Power, G. D.
Scherer, M.
Selinger, Jos., D. D.
Stack, Wm.
Sullivan, Dan.
Van der Sanden, H.
Wagner, H.
Watson, Georg.
Weiss, Fr. Xav.
Welsh, P.
Wigger, Herm.

II. E Clero Regulari.

Adm. Rev. Richard, M., O. S. F., Provincialis.
Fitzgerald, S. J., Provincialis.
Smith, C. M., Visitator, C. M.
Dockery, C. M.

Postea Revmus synodo nomina **"Examinatorum Cleri"** proposuit; sequentes acclamatione generali electi fuerunt:

Rev. Dom. Gul. Faerber,
Con. Smith,
F. G. Holweck,
P. W. Tallon,
A. Schilling,
J. H. May, D. D.,
A. Vassal,
P. V. Byrne, C. M.,
Joh. Nichols, C. M. D. D.
Jos. Grimmelsman, S. J., et
Paulinus Tolksdorf, O. S. F.

Qui omnes, invitante Revmo, illico ad Revmum accesserunt, ut juramentum praescriptum emitterent.

Praestito juramento, Revmus nomina promulgavit **Consultorum,** quos, post propositionem ex parte totius cleri, judicaverat esse seligendos, scil:

Revmus Dom. H. Muehlsiepen, Vic. Generalis,
Rev. D. Jac. M. C. McCaffrey,
Gul. Faerber,
J. J. McCabe,
J. J. Harty,
J. A. Hoffmann.

Ante vero hanc promulgationem, Revmus Dom. Archiepiscopus declaraverat, esse suae intentionis collegium electorale ad normam Conc. Plen. Balt. III. No. 15, constituere cum viginti et uno sociis; proindeque se non nominasse in consultorem ullum, quem in Rectorem Inamovibilem promovere cogitasset, quamvis hoc a lege Baltimorensi minime prohiberetur. Propositum synodalibus omnibus placuit.

Deinde illico processit ad **Rectorum Inamovibilium** institutionem, et, pro nunc, sequentes quindecim rectores constituti fuere:

Adm. Rev. Dom. Gul. Walsh, Rector Eccl. Stae Brigidae.
Rev. Dom. Fr. Goller, Rector Eccl. SS. Petri et Pauli.
Ed. Shea, Rector Eccl. Sti Kevini.
Georgius Reis, Rector Eccl. Sti Liborii.
J. A. Connolly, Rector Eccl. Stae Teresiae.
J. T. Coffey, Rector Eccl. Sti Joannis Ap. et Ev.
M. S. Brennan, Rector Eccl. Sti Laurenti O'Toole.
Carolus Ziegler, Rector Eccl. Sti Malachiae et
Josephus Schroeder, Rector Eccl. SS. Trinitatis;
omnes de hac civitate.

Ruri autem sequentes sex:

Rev. Dom. Fr. Willmes, Rector Eccl. Sti Petri, St. Charles,
F. X. Weiss, Rector Eccl. Stae Genovefae, St. Genevieve,
M. J. McLoughlin, Rector Eccl. Imm. Concept., Hannibal,
O. S. Hoog, Rector Eccl. Sti Petri, Jefferson City,
Gul. Noonan, Rector Eccl. Stae Rosae de Lima, De Soto,
J. Fitzgerald, Rector Eccl. Sti Joseph, Edina.

Quo facto, Revmus instituit duplex tribunal Ecclesiasticum; unum pro causis disciplinaribus Clericorum, alterum pro causis matrimonialibus et nomina officialium annuntiavit.

Officiales autem **Curiae Episcopalis pro causis disciplinaribus clericorum** sunt:

Iudex: ipse Revmus Ordinarius vel alius ab eo deputatus,
Procurator Fiscalis: Rev. D. Joannes H. May, D. D.,
Secretarius: Rev. J. Tannrath.

Officiales **Tribunalis Matrimonialis**:

Iudex: Revmus D. Vicarius Generalis,
Defensor Matrimonii: Rev. D. D. J. Lavery,
Secretarius: Rev. D. J. Tannrath.

In **Vicarium suum Generalem** iterum confirmavit Revmum D. H. Muehlsiepen; et in **Cancellarium** Rev. D. H. Van der Sanden.

Demum **Censorem librorum** constituit Rev. D. F. G. Holweck.

Hisce omnibus absolutis et attenta horae tarditate, Rev. Dom. Promotor petiit pro sessionis prorogatione ad horam secundam pomeridianam, et Rmus synodales cum benedictione dimisit.

Hora autem secunda P. M. omnes synodales iterum convenerunt, et continuata fuit sessio prorogata. Praevia Oratione, R. D. Promotor petiit et institit pro Decretorum lectione et promulgatione, ita quidem, ut Decretum praeliminare totum, reliqua vero per summaria capitum legerentur, facta expressa mentione eorum, quae ipse Revmus censuerat esse mutanda.

Decretis juxta instantiam lectis, Revmus solemniter declaravit, omnia hisce esse promulgata, et hac ipsa promulgatione vim habere et plenam obligationem.

Demum, quum omnia facienda facta jam essent, et nihil aliud agendum remaneret, Revmus Dom. secretarium jussit legere Decretum pro hujus Synodi conclusione. Quo facto, Revmus et Illm. Arch. breviter synodales allocutus est, eos de opere bene absoluto collaudans, eisque injungens religiosam statutorum observantiam. Tunc cantatus fuit Hymnus "Te Deum", et cum benedictione episcopali Revmus synodales dimisit.

JOH. H. MAY, D. D.,

Secretarius.

II.

STATUTA SYNODI.

DECRETUM PRAELIMINARE.

Decreta omnia Concilii Plenarii Baltimorensis tertii jam pridem promulgati, iterum hisce promulgamus, et ab omnibus ad quos spectant, fideliter servari jubemus.

Statuta quoque priorum hujus dioecesis synodorum et decreta conciliorum provincialium Sti Ludovici, in quantum eis derogatum non fuerit, iterum confirmamus et in pleno suo vigore permanere statuimus. Quum vero eorum exemplaria sint rarissima, decreta adhuc vigentia textu pleno statutis hisce synodi tertiae inserendas curavimus.

Ne vero facilius in oblivionem veniant salutares istae leges, omnes Nostri sacerdotes quum Concilii Baltimorensis Plenarii tum hujus Synodi decreta prae manibus habeant et frequenter perlegant.

CAPUT I.

DE CULTU DIVINO.

I. De Sacris Caeremoniis.

1. Volumus, ut omnes sacrae functiones quum Divini Officii tum administrationis sacramentorum adamussim peragantur secundum libros liturgicos a Summis Pontificibus editos et praescriptos, sepositis quibuscunque ritibus particularibus et consuetudinibus in contrarium. His libris pro nostris provinciis accensendus est: "Ceremonial for the use of the Catholic Church in the United States," jussu Patrum I. Concilii Baltimorensis elaboratus et a Gregorio XVI. approbatus.

II. De Sacrificio Missae.

1. Omnes Nostros in sacro ministerio consacerdotes in Domino monemus et obsecramus, ut, in quantum fieri potest, quotidie, et quidem, in fidelium commodum, hora statuta, Missam celebrent.

2. Curent sacerdotes ut hostiae in sacrificio adhibendae e pura farina triticea et aqua naturali conficiantur. Ad vinum quod spectat, praestat vinum "nativum" comparare vel ab ipsis vitis cultoribus vel a negotiatoribus (venditoribus) fide dignis. Insuper monemus, usum vini dulcis, quod spiritum (alcohol)

ultra proportionem duodecim per centum continet, in ordine ad missae sacrificium a S. Inquisitionis Congregatione esse prohibitum (caeterum vide Decreta in Appendice).

3. Omnes sacerdotes, qui in Nostra dioecesi ecclesias regunt, monemus, ne cui presbytero extraneo missam celebrare vel verbum Dei praedicare sine speciali Nostra vel Vicarii Generalis Nostri venia permittant, nisi vel alias sit ipsis bene notus, vel authenticas literas testimoniales a suo Ordinario datas secum afferat.

4. Ne numerus missarum fundatarum singulis annis die certo in ecclesia determinata in perpetuum dicendarum nimis accrescat neve onus pro illis ecclesiis nimis ingravescat, taxam pro talibus missis, si sint privatae, ad centum scutata semel numeranda constituimus; pro missis vero cantatis vel solemnibus pro singulis casibus ad Nos recurrendum erit. Insuper monemus, ut tales fundationes illico cum in registris ecclesiae inscribantur, tum ad Cancellarium Nostrum referantur inserendae archivo archiepiscopali.

5. In qualibet ecclesia, apud quam residet rector, fieri debet et quidem ab ipso sacerdote missam celebrante, benedictio candelarum in festo Purificationis S. Mariae, benedictio cinerum feria IV. Cinerum, benedictio palmarum in Dominica Palmarum et fontis baptismalis cum Sabbato Sancto tum Sabbato in Vigilia Pentecostes. Item absolutio pro defunctis post missam cantatam ab ipso celebrante peragenda est.

6. Cum rerum adjuncta non sinant Missam in Nocte Natalis Domini in ecclesiis publicis celebrari, ob plura incommoda quae exinde sequi possint, vetamus ne Missa in Natali Domini ante quartam horam mane celebretur in ecclesiis publicis, sive in civitatibus sive ruri. Capellas monasteriorum, quae privatae sunt, hac regula comprehendi minime volumus. Meminerint tamen sacerdotes, in iis sacellis privatis ea nocte celebraturi, nullo mode licere, absque speciali privilegio Sedis Apostolicae, quod probari debet, minime autem praesumi, sacram Eucharistiam in ea missa astantibus porrigere, sed expectandum ab iis esse usque ad missam in aurora dicendam, si velint Corporis Domini participes fieri. (Synodus S. Ludovici 1850. XII.)

III. De Cultu SS. Eucharistiae.

1. Ad augendam devotionem erga SS. Eucharistiae Sacramentum indulgemus, ut solemnis Benedictio cum SS. Sacramento ritu Romano dari possit in omnibus ecclesiis et sacellis, semel eodem die, sequentibus diebus:

In dominicis et festis de praecepto.

In omnibus aliis festis I. et II. classis.

Bis in hebdomada per Quadragesimam praeter Dominicam.

Ter in hebdomada mense Majo, primo insuper et ultimo die ejusdem mensis.

Quotidie per octavam Corporis Christi.

Prima feria VI. uniuscuiusque mensis.

Quotidie per mensem Octobrem, si Rosarium recitetur extra missam.

In festo SS. Angelorum Custodum.
Primo et ultimo die anni scholastici.
Quoties oratio habetur ad populum.
Per dies novenarum vel triduorum solemnium.
Quotidie tempore missionis vel exercitiorum spiritualium.

2. In festo Corporis Christi benedictio cum SS. Sacramento potest dari post Missam cantatam, vel, si fiat processio, semel vel iterum in via et post reditum processionis in ecclesiam. Insuper post Vesperas ejusdem diei.

3. In festo Corporis Christi processio cum SS. Sacramento in civitatibus ne progediatur ultra praedium ecclesiae, neve producatur per vias civitatis, ad praecavendum periculum profanationis tanti Sacramenti. In regionibus ruralibus vero, ubi tale deest periculum, processio fiat maxima solemnitate.

4. Expositio SS. Sacramenti ante sacrificium missae per Octavam Corporis Christi quotidie fieri potest, etiamsi missa sit privata tantum et non cantata; item per totam octavam benedictio cum Sanctissimo impertiri potest bis in die.

5. Non solum permittitur, sed summopere commendatur, ut Oratio Quadraginta Horarum tempore Nobis probato in unaquaque ecclesia celebretur, ubi solemnitas ejus peragi potest.

6. Coram Sanctissimo lampas semper accensa habeatur, ex oleo olivarum nutrita vel saltem ex aliis oleis "vegetabilibus". Usus olei quod vocant "Kerosene" nonnisi in casu verae necessitatis et obtento Nostro consensu speciali permittitur.

7. Prohibemus quominus in ecclesia sacerdotes loco candelarum vel inter candelas utantur lumine quod vocatur "gas", sive luce electrica. Permittitur usus talium luminum extra vel supra altare, splendoris causa, nunquam vero in loco pro candelis reservato.

IV. De Praedicatione Verbi.

1. Omnibus Dominicis et festis de praecepto sermo ad populum habendus, saltem in missa majore, tempore aestivo non excepto.

2. Si plures pro populo missae regulariter in eadem ecclesia celebrantur, in unaquaque, praeter majorem, vel homilia brevissima habeatur, vel saltem evangelium legatur lingua vernacula, una cum publicationibus de diebus jejunii, abstinentiis et festis per hebdomadam occurrentibus.

3. Pastores animarum debent meminisse, inter eorum officia Verbi Divini praedicationem praecipuum locum habere. Quapropter ad hoc munus rite implendum se sedulo praeparent, et nil divini ministerii dignitate et gravitate indignum in suis ad populum concionibus admittant. Studeant plane et enucleate potius quam ambitiose dicere quae fidelibus annuntiare debent. Prae ceteris autem instructionum generibus ament de catechesi, etiam inter missarum solemnia, verba facere, aut saltem conciones de fidei mysteriis officiisque fidelium eo modo habere, qui ad formam catecheticam maxime accedit. Experientia enim constat huiusmodi instructionum genus maxime necessarium esse ad populum rite instituendum, et fructus uberrimos in audientium cordibus parere consuevisse. (Synod. S. Ludovici, 1850; XVI.)

4. Caveant pastores, ne ad privatam injuriam ulciscendam sacro loco et tempore abuti audeant, neve ante vel infra vel post concionem saepe saepius verba de pecuniis faciant. (Conc. Pl. Baltim. III. 215.)

5. Summum Pastorem Pium IX. secuti desideramus, ut, ubi fieri potest, singulis quinquenniis sacrae missiones in unaquaque Nostrae dioecesis parochia peragantur.

V. De Festorum Observantia.

1. Festa de praecepto eo modo et aeque ac Dominicae peragenda sunt. In civitatibus autem prima missa summo mane pro operariorum opportunitate legi debet.

2. Festa principaliora per annum, quae his in regionibus non amplius sunt de praecepto, ut Epiphania, Annuntiatio S. Mariae, S. Joseph, etc. volumus, ut celebrentur cum aliqua solemnitate, missa saltem cantata, ubi fieri poterit.

3. Volumus, ut festum Patronale uniuscuiusque ecclesiae publicae solemniter et ritu debito primae classis cum octava celebretur ipso die, quo annuntiatur in Martyrologio Romano; licet enim officium alicuius sancti pro tota dioecesi perpetuo in diem fixum transferatur, ecclesiae et loca, quorum ille est Patronus, eundem propria die celebrare possunt et debent.

4. Solemnitas exterior vero, quamvis in ipso festo jam facta sit, transferenda est in Dominicam sequentem, et canitur missa votiva solemnis de Patro-

no, cum Gloria et Credo et commemoratione solius Dominicae et ultimo ejus evangelio. Vesperae quoque solemnes eadem Dominica cantari possunt de S. Patrono. Quae regula valet etiam pro festo S. Ludovici, dioecesis, civitatis et cathedralis Patroni Principalis.

5. Liturgia Tridui Sacri observetur, ubicunque fieri poterit. Peragi potest huius tridui solemnitas etiam in sacellis privatis monialium, si adsit ministrorum copia. Singulis annis nova adhibenda est candela paschalis cerea.

6. Volumus ut, juxta Missalis praescriptum, Processio sacra fiat, saltem intra ecclesiam, die festo Purificationis B. M. V., in Dominica Palmarum, diebus Rogationum et in festo Sti. Marci Ev. Ubi vero Processio fieri nequeat diebus Rogationum et in festo Sti. Marci, Litaniae Sanctorum saltem ante Missam, publice aut cantentur aut recitentur et fideles Dominica antecedenti moneantur his precibus interesse, quod ut facilius velint, explicent sacerdotes quid sibi velint istae preces, et quarenam ab Ecclesia jussae sint. (Syn. Sti. Lud. XXV.)

7. Commendamus, ut quotidie per mensem Majum pia exercitia in honorem B. Mariae V. habeantur, sive post missam, sive alio diei tempore.

8. Ex praecepto Summi Pontificis per integrum mensem Octobrem usque ad 2. Novembris quotidie in ecclesiis Rosarium, i. e. tertia ejus pars, una cum Litaniis Lauretanis et oratione in honorem S. Joseph

recitetur, sive per missam, sive alio diei tempore, et tunc SS. Sacramento quoque exposito. Preces vero quotidianae post omnes missas privatas de mandato apostolico dicendae, mense Octobri non omittendae sunt.

9. Per Quadragesimam duabus saltem vicibus per hebdomadam, ruri semel, habeatur devotio publica in ecclesia, cum sermone aut via S. Crucis.

VI. De Exequiis et Sepultura.

1. In sepultura mortuorum accurate servandae sunt ceremoniae Ritualis Romani.

2. Si fieri potest, imprimis in ecclesiis ruralibus, sacerdos corpus ad coemeterium comitabitur. Si celebrans et clerus funus ad coemeterium non comitentur, ut ob ejus distantiam, praecipue in civitatibus, fieri solet, tota ceremonia compleatur in ecclesia, quae facienda esset apud tumulum, nisi adsit capellanus coemeterii.

3. Quibus deneganda sit ecclesiastica sepultura statuitur a Rituali Romano (vide Appendicem). Ubi vero de sepultura deneganda dubium occurrerit, Ordinarius consulatur; quod si fieri non poterit, in partes lenitatis et misericordiae propendeat judicium. (v. Conc. Baltim. II. 389.)

4. Ad omnes praecavendos abusus statuimus, Ecclesiae honores iis habendos non esse catholicis, qui impietate sua, seu habituali religionis Catholicae neglectu, vel contumaci contra leges Ecclesiae inobe-

dientia, aut gravi quodam crimine, publice ac notorie Ecclesiam inhonorarunt, atque ante publicam scandali reparationem morte decesserunt. Si forte tamen praesumi possit tales decedentes desiderium habuisse sacramenta recipiendi, tunc preces exequiales super corpus defuncti privatim recitare (sine cantu et solemnitate) atque missam pro anima defuncti privatim offerre, corpusque in coemeterio catholico sepelire licebit.

5. Maxime cupimus, ut in hac dioecesi introducantur, ubicunque nondum in usu sunt, ecclesiastica parvulorum funera. In quibus exequendis observentur regulae Ritualis Romani. Parvuli qui usus rationis capaces fuere, sepeliendi sunt, ex parte ecclesiae, more adultorum. Pueri non censentur usum rationis adepti, qui septimum annum non compleverunt.

CAPUT II.

DE SACRAMENTIS.

I. De Sacramentis in genere.

1. Sacramenta Novae Legis, cum totidem sint fontes gratiae Christi, omnis sacerdos, "dispensator mysteriorum Dei", non solum rite ac sancte administrare sed et animos fidelium de eorum dignitate et ubertate instruere tenetur. Nusquam forsitan de hisce rebus clarius tractatur quam in Catechismo Concilii Tridentini ad Parochos, quem ad manum omnes Nostros sacerdotes habere magnopere optamus.

2. In Sacramentorum administratione adamussim Rituale Romanum observetur. Commendamus vero, ut omnes sacerdotes praeter Excerpta ex Rit. Rom., quibus generaliter utuntur, habeant etiam et quotannis perlegant Rituale completum.

3. "Quae ad administrationem Sacramentorum formulae pertinent, debent *latino idiomate* omnino exprimi, exceptis patrini et matrinae responsionibus in Sacramento Baptismi, et verbis consensus conjugum in Sacramento Matrimonii". (Decr. S. R. C. Ratisb. 15. April. 1880); sed quandoque, praesertim si adstent acatholici, preces sacramentales necnon et exequiales lingua latina jam recitatas, in linguam vernaculam vertere juvat.

4. Quando in ecclesiis sacramenta administrantur, volumus ut vestis talaris et superpelliceum adhibeantur, et desuper stola ejus coloris quem sacramenti ritus exposcit. Quando vero in aedibus privatis conferuntur, eadem sacra indumenta quantum fieri poterit adhibeantur; in omni casu stola saltem deferatur, nisi necessitas id prorsus impediat.

5. Sacerdotes omnes in memoriam revocare debent olea sancta reverenter esse servanda, et absque gravi causa, semper in loco tuto, decenti et semper sub clavi teneri omnino oportere.

II. De Baptismo.

1. Juxta universalem ecclesiae praxim statuimus, ut quamprimum fontes baptismales in omnibus ecclesiis erigantur et sub clave custodiantur, prope quos omnia quae ad administrationem sacramenti Baptismatis pertinent, nitide serventur.

2. Patrinus saltem unus sub gravi adhiberi debet, neque licet plures quam duos adhibere, quorum unus sit vir, altera mulier. — Sacerdos de patrinorum idoneitate inquirat, priusquam ad baptizandum procedat — ad praecavendum scandalum, si eos rejicere teneatur.

3. Nomina baptizandis imponenda, in quantum fieri potest, sint nomina Sanctorum — neve admittantur obscoena, fabulosa aut ridicula, vel inanium deorum vel impiorum ethnicorum. Si plura et diversa nomina sacerdos admittere censuerit, saltem unum sit Christianum.

In hoc casu sacerdos in prima interrogatione omnia nomina exprimat, in sequentibus autem formulis et precibus nomen tantum Christianum repetat. In libro autem baptismatum omnia nomina recenseantur.

4. Meminerint sacerdotes quam magni sit momenti, ut in libro Baptismatum inscribantur nomina omnium quos baptizaverunt; quod vel immediate vel semper quam maturrime faciendum districte jubemus.

5. Praecipimus ne unquam sacerdotes extra ecclesiam hoc Sacramentum conferre audeant, praeter mortis imminentis periculum, in urbibus unam vel plures ecclesias habentibus. Ruri vero propter nimiam distantiam ab ecclesia vel aeris intemperiem vel alias gravissimas causas liceat sacerdotibus pro eorum prudentia et conscientia infantes domi baptizare cum omnibus caeremoniis.

6. In aliis vero casibus, quum Baptismus privatus, ob mortis periculum domi conferendus est, sacerdos, stola alba indutus, omissis ante Baptismum dici vel peragi solitis, catechumenum statim trina vel etiam una aquae infusione rite baptizet. Postea vero, si tempus suppetat, et ad manum chrisma habeatur, liniat eum in vertice, linteolum candidum imponat, candelamque incensam ei porrigat. In supplendis autem ritibus omissis, ordo in rituali praescriptus, servandus est.

7. Quoniam baptismi Sacramentum omnino ad salutem est necessarium, maxima in eo conferendo

requiritur diligentia, nec unquam sine culpa non adhibetur. Ideo moneantur parentes ut natos infantes infra hebdomadis spatium ad ecclesiam deferant baptizandos.

8. In neoconversis ad fidem excipiendis ea omnia serventur quae in instructione a Congr. S. Officii die 20. Iulii 1859 tradita habentur, quaeque referuntur in Appendice hujus Synodi.

9. Licet sacerdotibus Nostris in baptismo adultorum formulam pro parvulis adhibere, usque dum S. Sedes aliter statuerit. (Ex Decr. 6. Febr. 1859.)

10. Quando haeretici adulti prius valide baptizati ad fidem convertuntur, exigendum non est, ut caeremoniae omissae suppleantur. Si tamen id valde desiderant, liberum erit eas supplere.

11. Acatholicorum infantes quos ipsi parentes afferunt baptizandos, licet baptizare, quoties probabilis spes affulget catholicae eorum educationis. Curandum vero omnino est, ut patrinus vel matrina iique catholici habeantur.

12. Curent sacerdotes ut fideles adhibeant, si fieri poterit, obstetrices et medicos catholicos, propter rationes obvias. Praeterea curent, ut omnes fideles, praesertim medici, nutrices atque obstetrices privati baptismatis conferendi modum rite calleant.

13. Rituale Romanum sacerdotes, sacramentorum ministros, monet, ne veteribus oleis, nisi necessitas cogat, ultra annum utantur; sed sacrum

chrisma et sanctum oleum, quod et catechumenorum dicitur, quorum usus est in Baptismo, necnon et sacrum oleum infirmorum, eodem anno sint ab Episcopo de more benedicta in Feria V. in Coena Domini. Non licebit proinde semel elapsis diebus decem a Feria V. in Coena Dni. cujusque anni chrismate vel oleis uti, quae praecedenti anno benedicta fuerunt. Curet immo unusquisque Rector ut, si fieri possit, Sabbato Sancto cujusque anni ad Fontem Baptismalem benedicendum novis oleis non careat.

14. Benedictio post partum semper conferatur in ecclesia vel in loco ubi Sacrum fit: nisi puerpera longius ab ecclesia habitet, quam ut eam sine magno incommodo adire valeat.—Nunquam vero illegitimae matri conferatur illa benedictio, nisi ex publica denegatione scandalum oriturum praevideatur.

III. De Confirmatione.

1. Animarum rectores circa festum Pentecostes vel alio tempore bene viso fideles suos edoceant de Sacramenti Confirmationis divina institutione, de ejus dignitate atque salutaribus effectibus, ita ut adulti, qui hoc sacramentum quacumque ex causa nondum susceperint, ad illud digne suscipiendum tandem alliciantur, et parentes maximam dent operam, qua liberi temporibus statutis ad idem Sacramentum bene instructi ac pie accedant.

2. Rectoris est sive per se, sive per suum assistentem sacerdotem, liberos aliosque Confirmationem suscepturos omni qua par est diligentia instruere et praeparare.

3. Ad hoc Sacramentum suscipiendum ordinarie non sunt admittendi, nisi qui annum aetatis decimum attigerint, et ad primam Communionem aut jam accesserint aut proxime sint accessuri.

4. Patrini munus in Confirmatione obeat unus tantum sive vir sive mulier juxta sexum confirmandi.

5. Liber in unaquaque Ecclesia vel Missione haberi debet, in quo nomina confirmatorum eorumque patrinorum describantur, haud minori cura quam quae solet et debet in libro Baptizatorum conficiendo adhiberi.

6. Quandocumque hoc Sacramentum plurimis administrandum erit, schedulas quasdam quibus nomina Confirmandorum inscribantur, singulis a sacerdote dari convenit, quas Episcopo sacramentum administraturo exhibeant candidati. Parochi ne omittant confirmandos monere, ut ex consuetudine Ecclesiae in Confirmatione nomen alicujus sancti addant nomini quod in Baptismo acceperunt.

7. Ordinarie pueri a Pastore vel ab alio sacerdote, cum pastoris permissione ad Confirmationem adducantur.

IV. De Eucharistiae Sacramento.

1. Quanta reverentia Sanctissimo Sacramento, praecipuo pignori Divini erga nos amoris, sit ab omnibus semper exhibenda, neque mente concipi neque verbis exprimi potest. Curet et summis assiduisque viribus contendat fidelis Christi minister,

ut omnium cordibus injiciat tenerrimam devotionem erga SS. Eucharistiam, fidelesque edoceat fructus salutiferos frequentis Communionis necnon et praxis Sanctissimum visitandi. (Cf. Conc. Trid. Sess. XIII. c. 8. et Conc. Plen. Balt. II. Decr. 269.)

2. In unaquaque Ecclesia apud quam habitat sacerdos SS. Eucharistiam servari licet et oportet.

3. Permittimus ex facultate Apostolica Nobis concessa, ut in Oratoriis sororum religiosam domum habentium, dummodo in ea quatuor personae commorentur, asservari valeat SS. Eucharistiae Sacramentum in Tabernaculo decenter extructo et ornato, cujus clavis a presbytero retineatur. Ex voluntate Sanctitatis Suae sorores semel ad minus in mense puellas suarum scholarum quamvis extra domum religiosam eaedem scholae sitae sint, in Oratorium ad SS. Sacramentum visitandum adducant.

4. Altare in quo asservatur SS. Sacramentum, etiamsi sit majus vel unicum, in Missis de Requie pallio violaceo ornandum, nunquam vero nigro, declaravit S. R. C. 1. Dec. 1882. Idem valet de conopeo Tabernaculi.

5. Meminerint sacerdotes, juxta Decreta S. R. C., particulas sacramentales minores et hostiam majorem semel in hebdomada aut circiter renovandas esse, veteribus consumptis et purgato ciborio.

6. Vix necesse habemus sacerdotes monere, ipsis non licere SS. Eucharistiam apud se retinere, aut secum deferre, nisi urgente necessitate; quae si occurrat, sedulo ipsis curandum est ut maxima se

gerant reverentia, et ab inani quovis abstineant colloquio. Si vero hostia sacra supersit ab aegrotantium domo redeuntibus, ad ecclesiam quam primum accedant, atque statim illam in ciborio reponant.

7. In deferenda Sacra Communione ad infirmos, ea omnino caute serventur quae in Rituali praescribuntur, quaeque persaepe relegi debent. Data Communione, si quae supersit Hostia ad alium infirmum deferenda, fiat Benedictio cum pyxide super aegrotum jam Communione refectum. Nunquam, nisi extrema necessitate, vel ipsam Hostiam, vel vas sacrum attrectet sacerdos stola non indutus. Quum Sanctissimum e Tabernaculo extrahit, semper superpelliceo et stola sit vestitus, ac prius candelas in altari accendi curet.

8. Infra Missam "de Requiem", et immediate ante vel post eam, Communionem dari licet. S. autem detur ante vel post illam Missam, dicatur consueta antiphona, "O Sacrum Convivium", omissa tamen benedictione; omisso quoque alleluia tempore Paschali.

9. Decretum Lateranense de confessione annua et communione Paschali, quotannis tempore Quadragesimae clare explicandum statuimus, ut de sua exinde gravi obligatione neminem lateat. Praeterea Rectores monemus iisque stricte praecipimus, ut tempore Paschali fideles hic illic ruri dispersos adire conentur, ita ut suae quisque satisfacere possit obligationi de Paschali Communione, quae in *propria parochia* ad obligationi satisfaciendum recipienda est, ubicumque constituta est parochialis ecclesia.

V. De Poenitentia.

1. Meminerint Sacerdotes, se in Sacro Poenitentiae tribunali non solum justi, sed praeprimis misericordis Dei vices gerere: quapropter ne sint nimis severi, ne fideles arceantur a frequenti confessione.

2. Admirabilem S. Alphonsi tractatum, cui titulus: *Praxis Confessarii*, omnibus Nostris sacerdotibus perlegendum et sequendum commendamus.

3. Monemus omnes apud Nos sacerdotes ut paratos semper se exhibeant ad excipiendas fidelium confessiones, praesertim tamen Sabbato, Festorum vigiliis ipsisque Dominicis et festis et quando missam in aliqua statione celebraturi sunt.

4. Praecipimus *sub gravi* ut ea quae in Synodo praecedente decreta fuerunt de confessionalibus in ecclesiis, loco patenti et publico erigendis, extra quae nullatenus mulierum et puellarum, praeterquam aegrotantium, surdarum, aetate decrepitarum, vel aliunde ab ecclesia adeunda impeditarum, confessiones liceat excipere, adamussim observentur.

5. Singulis nostris sacerdotibus potestatem damus, ut infra limites nostrae Dioeceseos cuivis sacerdoti alieno bonae famae concedant facultatem, ut suam suorumque domesticorum recipiat confessionem.

6. Nobis in votis est, ut saltem in civitatibus in quantum fieri potest, confessiones sororum non amplius ab ipsis eorum rectoribus, sed vel ab eorundem assistentibus vel a sacerdotibus vicinis excipiantur.

Ruri rectores poterunt alium sacerdotem ad sororum confessiones audiendas delegare quandocumque occasio se praebet.

7. Ad sibi soli confitendum nemo poenitentem inducat, neve libertas, hac in re fidelibus a Christo et ab Ecclesia concessa, ullo unquam alio modo minuatur. Hinc optime facient Rectores, si quandoque extraneos confessarios in sui adjutorium vocent.

8. Suaviter et paterne cum omnibus, etiam rudissimis, procedat confessor, neve unquam iracundiae indulgeat. A gemitu et vocis elatione, et ab omni alio strepitu inter audiendum abstineat, ne poenitenti molestia afferatur, aut adstantibus vel minima fiat revelatio.

9. Sigillum scrupulose servetur. Cum aliis, sive laicis sive etiam Clericis, in familiari colloquio de rebus in tribunali auditis nunquam sermo fiat.

Casus reservati.

Noverint confessarii, in facultatibus ordinariis sibi concessis non contineri casus sequentes, ideoque specialissimis se indigere facultatibus absolvendi:

1) Ab haeresi et apostasia a fide, et schismate, eos qui in loco ubi S. Officium exercetur (e. gr. Romae) deliquerunt.

2) Complices sibi in quolibet peccato mortali externo contra castitatem.

3) Sacerdotem qui complicem sibi in hujusmodi peccato absolvere tentaverit.

4) Personam sollicitatam, nisi prius sollicitantem Ordinario denuntiaverit.

5) Personam cujuscumque sexus quae sacerdotem aliquem falso de sollicitatione denuntiaverit.

6) Sacerdotem omnem, qui in confessionali aut occasione aut praetextu confessionis, vel in loco ad excipiendas confessiones destinato, ad peccandum contra castitatem sollicitaverit.

7) Catholicos qui novum matrimonium conjuge legitimo superstite contrahere attentaverint, seu scienter iis ut testes auctorizati (*Groomsman and Bridesmaid*) astiterint.

VI. De Extrema Unctione.

1. Sacerdotes infirmos opportune visitare debent eosque hortari ut Sacramenta moribundorum, praeprimis Extremae Unctionis suscipiant dum pleno rationis usu gaudent, ut sic uberiorem fructum percipere possint; nam teste Sancto Jacobo inter praeclaros hujus unctionis effectus recensenda est, non solum animae a peccatis ablutio, sed et sanitatis corporalis restitutio. Studeant igitur animarum Curatores repellere insulsissimam opinionem (ne superstitionem dicamus,) inter non paucos vigentem, quod receptio illius sacramenti sit mortis impendentis indicium.

2. Numquam licet ultima sacramenta denegare moribundo, sub praetextu, quod, avaritia ductus, nihil unquam ipse contulerit in commodum Ecclesiae vel Pastoris.

3. Si forte sacerdoti aegrotos invisenti contigerit dare consilium de rerum temporalium disponendarum ratione, religione quam maxima, caveat non tantum a reatu, sed vel ab omni avaritiae specie ac suspicione.

4. Onus autem sive describendi sive exequendi testamentum constanter recuset sacerdos, nec unquam nisi gravissima de causa, puellarum tutelam in se suscipere consentiat.

VII. De Ordine.

1. Sacerdotes omnes vocationi puerorum bene invigilent, ut si quos statui clericali vel vitae religiosae aptos judicaverint, multa cura foveant, ne cor illorum mundano pulvere sordescat.

2. Magnopere laudandi sunt Sacerdotes qui pueros sacro muneri vacare volentes, saltem rudimenta linguae Latinae aliaque utilia edocendos ipsi curant.

CAPUT III.

DE MATRIMONIO IN SPECIE.

1. Quolibet anno Dca. 2. vel 3. post Epiphaniam ab animarum pastoribus concio habenda est de Sacramento Matrimonii, imprimis de ejusdem sanctitate, indissolubilitate et obligationibus, non praetermissis impedimentis.

2. Si qui sponsi rectorem adeant, ut ab ipso matrimonio jungantur, prius bene investiget, num revera intra limites suae parochiae habitent—alioquin nec licite, nec in locis ubi Tridentinum viget, valide eos jungere potest.

3. Quod si quis parochus vel alius sacerdos sive regularis sive saecularis sit, etiam si id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, non absolvatur. (Conc. Trid. Sess. 24. c. 1 de ref. matr.)

4. Si sponsus et sponsa in diversis habitent parochiis, usu et consuetudine ubique fere sancitum est, ut matrimonium contrahatur coram parocho sponsae.

Hanc regulam in tota Nostra Dioecesi, etiam in locis non Tridentinis, tamquam Statutum Dioecesis observari volumus.

5. Vagorum matrimonia nullus sacerdos benedicere audeat nisi cum licentia Ordinarii — et nisi sponsi status sui liberi authentica documenta vel testes fide dignos attulerint, vel, his deficientibus, juramentum de libertate praestiterint.

6. Decretum Concilii Tridentini "Tametsi" de Clandestinitate pro promulgato habetur in civitate Sti Ludovici, et in oppidis Sti Caroli, Sti Ferdinandi et Stae Genovefae.

7. Domicilium verum acquiritur habitatione actuali, etiamsi unius diei tantum in aliquo loco cum animo ibi perpetuo et stabiliter habitandi.

8. Quasi-domicilium in ordine ad matrimonium in his provinciis acquiritur pro se transferentibus e loco ubi viget caput Tamesti in alium locum dummodo ibi continuo commorati fuerint per spatium unius mensis, et status sui libertatem comprobaverint, quin inquisitio facienda sit de animo ibi permanendi per majorem anni partem. (Ex Decr. S. Off. d. 6. Mai 1886.)

9. Ex decreto SSmi Dni Nostri Leonis XIII. 15. Febr. 1892, deinceps in locis ubi conjugia clandestina pro validis habentur, copula carnalis sponsalibus superveniens non amplius ex juris praesumptione conjugalis contractus censetur, nec pro legitimo matrimonio agnoscitur.

10. Matrimoniis puellarum, quae famulatum praestant, assistat parochus domicilii paterni, materni, fraterni ejusdem puellae, quatenus habeant illud in eadem civitate. Si non habeant, assistat parochus domicilii in quo degunt, quatenus in eadem civitate matrimonium contrahant (Decr. S. C. C. Trid. 1788).

11. Ante matrimonium contrahendum examinatio sedula fiat de impedimentis forsan existentibus.

12. Ex praecepto Ecclesiae fieri debet proclamatio bannorum tribus continuis diebus dominicis vel festivis de praecepto, et quidem si sponsi sint diversarum parochiarum in ecclesia parochiali utriusque.

13. Suam assistentiam matrimoniis inter partes diversarum parochiarum ineundis minime praebeat sacerdos, ad quem pertinet matrimonium celebrare, si non fuerit ipsi prius exhibitum testimonium sacerdotis alterius parochiae curam gerentis, quo constet proclamationes in sua ecclesia factas fuisse nec ullam impedimenti denunciationem ipsi innotuisse (Syn. Dioc. St. Lud. 1850, N. XVII.).

14. Dispensationes a proclamationibus, quae nonnisi ex gravissimis causis fient (Conc. Pl. Balt. II, 332), a Cancellaria Nostra petendae sunt; et quidem ordinarie a Parocho, non autem ab ejus Assistente haec petitio fieri debet.

15. Concedimus autem rectoribus facultatem, ut ab una vel duabus proclamationibus ipsi dispensare valeant, praesertim in missionibus, ubi Sacrum non fit quacunque Dominica.

16. In casibus vero urgentis necessitatis, quibus tempus non licet dispensationem petere, rectori liceat dispensare ab omnibus proclamationibus, ea tamen lege, ut intra tres dies Cancellariam certiorem reddat et de dispensatione et de ejusdem rationibus.

17. Sponsi ante matrimonium diligenter instruantur de obligationibus conjugum quum erga alterutrum tum quoad liberos educandos.

18. Item sponsi strenue moneantur ut pro digna sacramenti matrimonii susceptione peccata sua confiteantur.

19. Matrimonia omnino in ecclesia celebrentur, nec unquam in domibus privatis sine specialissima Ordinarii licentia.

20. Studeant sacerdotes ut sponsos inducant modis omnibus ad matrimonia de mane celebranda una cum Missa pro sponso et sponsa, in qua solummodo benedictio nuptialis impertitur.

21. Quapropter rectores talem celebrationem omni quo possunt modo cohonestent, et fidelibus gratam acceptamque faciant; festivo altaris apparatu, musica concentuque ecclesiasticis, si fieri potest, adhibitis, et genuflexoriis pro sponsis coram altari ornatu convenienti paratis, ut per haec laetitiae christianae indicia animi fidelium ad ritum hunc modo convenienti celebrandum alliciantur (Sti Lud. n. XVII.).

22. Si aliquando contigerit ex rationibus gravibus, ut matrimonia extra Missam celebrentur, tunc fiat sine ulla solemnitate et apparatu, duabus tantum candelis accensis.

23. Omnino vetamus, ne matrimonia post horam quintam pomeridianam celebrentur.*)

24. Volumus, ut intra tempus clausum matrimonia non contrahantur, sine speciali Nostra licentia.

25. Nunquam licet rectori vel confessario nullitatem matrimonii declarare in ordine ad alias nuptias permittendas, quamvis certa invaliditas appareat; sed hujusmodi casus semper ad Ordinarium referre necesse est.

Si quis autem sacerdos novo foedere Nobis inconsultis conjungere audeat quospiam, quorum alteruter ita fuerit ligatus, noverit se a sacris muneribus ipso facto suspensum.

26. Si quis legitimo matrimonio junctus, altera parte adhuc vivente novum matrimonium inire attentaverit, excommunicationi Nobis reservatae se sciat innodatum; itemque testes auctorizati, qui scienter sacrilego hujusmodi matrimonio assistant. Sciat insuper pars prout in casu, se etiam conjuge proprio demortuo, non posse legitimo matrimonio conjungi cum altera parte, quacum matrimonium inire attentavit, quia obstat impedimentum criminis.

De matrimoniis mixtis.

27. Sacerdotibus curam animarum gerentibus praecipimus ut semel saltem in anno, sive Dca. 2. vel 3. p. Epiphaniam quando de matrimonii Sacra-

*) Hoc statutum, ut ad mixta quoque matrimonia extendatur, mandavit Rmus Ordinarius.

mento ex statuto supra memorato loquuntur, sive, quod melius est, alio tempore seorsim gravi sermone de matrimoniis mixtis fideles edoceant. Ostendant, quae gravia mala ex hujusmodi matrimoniis enascantur; quomodo pro parte catholica et prole sint periculis et spiritualibus damnis plena; ita ut summo jure S. mater Ecclesia matrimonia mixta semper detestaverit, semper vetuerit, et adhuc detestetur et vetet.

28. In quocumque casu particulari, quo agitur de mixto matrimonio ineundo, sacerdos omni conatu partem catholicam a proposito deterrere attentet.

29. Quodsi rerum adjuncta aliquando suadeant, matrimonio mixto assistere, prius sponsos admoneat de promissionibus omnino necessarie requirendis, nempe:

1) ut pars acatholica promittat liberum exercitium religionis parti catholicae;

2) itemque ut universa proles in Catholica Religione educetur.

Hae promissiones a parte acatholica debent manu propria obsignari una cum nominibus testium — juxta formulam in Appendice hujus Synodi — et quidem in duplici forma, quarum una Cancellario una cum petitione pro dispensatione transmitti debet, altera in archivio parochiali asservatur.

30. Meminerit parochus partis catholicae, cujus est matrimoniis mixtis assistere, pro obtinenda necessaria dispensatione causas vere graves requiri, praesertim si sponsa sit acatholica, quas in petitione omnino exprimi oportet. Parochus illius parochiae, in qua habitat pars acatholica, de consensu tantum alterius rectoris, qui dispensationem obtinuit, assistere potest.

31. Parochi matrimoniis mixtis assistant, nullo adhibito ritu sacro vel sacra veste, et nonnisi in domo parochiali; nunquam vero in domibus privatis sine expressa Ordinarii licentia.

32. Si quando hujusmodi sponsi in mente haberent, etiam ministellum acatholicum adire sive ante matrimonium contrahendum sive post matrimonium coram sacerdote catholico contractum, vel etiam si ejusmodi ministellum invitarent ut simul cum sacerdote catholico matrimonio contrahendo assistat, tunc nullo modo sacerdoti licitum erit tali foederi conjugali ineundo assistere.

33. Sciant Catholici se esse excommunicatione innodatos, Episcopo reservata, si coram ministello acatholico matrimonium contrahere praesumant. Idem valet, si unus tantum contrahentium sit catholicus.

34. Quando *certo constat* grave exinde ortum fuisse scandalum, quod quis ministrum haereticum vel civilem magistratum matrimonium contracturus adierit, antequam a peccatis et censuris absolutus fuerit, fas est, ut scandalo sic dato aliquatenus medeatur: quod ut fiat volumus ut reus formulam propriam publice coram Ecclesia legendam sua manu subscribat — prout in Appendice hujus Synodi invenitur.

Prius a Nobis facultate obtenta, excommunicatum extra confessionale et quidem coram altari genuflexum, a censura absolvat sacerdos juxta formulam Ritualis Romani.

35. Noverint sacerdotes, Bullam Benedicti XIV. pro Hollandia ad has provincias fuisse extensam, ita ut matrimonia mixta ubique contracta valida sint — nec unquam licere in casu reconciliationis consensum matrimonialem renovare.

CAPUT IV.

DE RECTA JUVENTUTIS INSTITUTIONE.

I. De Scholis Parochialibus.

1. Prope unamquamque ecclesiam, ubi nondum existit, schola parochialis intra duos annos a promulgatione hujus Synodi erigenda et in perpetuum sustentanda est, nisi Ordinarius ob graviores difficultates dilationem concedendam esse judicet.

2. Sacerdos qui intra hoc tempus erectionem vel sustentationem scholae gravi sua negligentia impedit, vel post repetitas Episcopi admonitiones non curat, meretur remotionem ab illa ecclesia.

3. In iis locis, ubi scholae catholicae institutae fuerunt, parentes prohibemus, quominus liberos suos ad scholas publicas mittant.

Noscant vero parentes recalcitrantes quod ipsis necessario deneganda sit absolutio peccatorum.

Casus, in quibus hujus regulae strictae exceptionem fieri posse videatur, in civitate Nobismetipsis vel Commissioni Nostrae scholarum reservamus, alias rectorum Missionum judicio et conscientiae dirimendos relinquimus.

4. Sustentatio scholarum generaliter fiat per contributiones mensiles pro singulis pueris a parentibus solvendas.

Quae desunt, sive per collectas extraordinarias, sive ex reditibus Ecclesiae suppleri debent.

Maxime vero ad hoc commendamus, ut in unaquaque parochia instituatur societas, cujus membra certam summam pro sustentatione scholarum singulis mensibus persolvant.

Saepissime insuper admonitio fiat ad populum, fideles omnes teneri ad scholas parochiales sustentandas. (Vide Instructionem ad nostros Episcopos, pp. 279—282 in Append. Conc. Pl. Balt. III.)

5. Annus scholasticus aperiatur et claudatur cum solemnitate in ecclesia, i. e. saltem cum Missa cantata et Benedictione Sacramentali — ut quum pueris eorumque parentibus, tum fidelibus omnibus magis magisque innotescat quam intima sit ecclesiam inter et scholam connexio.

6. Festum Angelorum Custodum magna solemnitate celebretur — una cum benedictione puerorum, quae in Appendice Ritualis Romani continetur (*Benedictio puerorum quum praesertim in ecclesia praesentantur*).

7. Valde cohortandi sunt parentes, ut pueri quotidie ante scholam S. Missae, tempore opportuno celebrandae, assistant.

8. Rectores scholas frequenter, saltem bis in hebdomada, visitent, inspiciant, puerorum moribus invigilent, zelum stimulent et catechismum edoceant.

9. In scholarum bonum et salutem promovendo et Nosmetipsos et rectores adjuvabunt commissiones scholarum: quarum etiam erit, in quantum et quamprimum fieri potest, uniformitati librorum in scholis adhibendorum consulere.

10. Pueri ab annis discretionis quater in anno ad S. Confessionem adducantur diebus Quatuor Temporum vel aliis diebus melius visis.

Praesertim prima vice recepturi Sacramentum Poenitentiae pueri diligenter instruantur et praeparentur per ipsos animarum rectores.

II. De Prima S. Communione.

1. Pueri ad primam S. Communionem intra decimum et decimum quartum annum admittendi sunt.

2. Neocommunicantes per duos saltem annos scholam catholicam visitare oportet, et quidem immediate antequam ad S. Synaxim admittuntur.

3. Quamvis praeparatio puerorum pro prima Communione recipienda, (et idem de Sacramento Confirmationis dicendum est) ad proprium eorum parochum ita spectet, ut ab alio quovis sacerdote ad ista sacramenta non sint admittendi nisi de licentia expressa eorum parochi vel Ordinarii; attamen puellae puerique academias aut collegia catholica ab initio anni scholaris frequentantes, a capellano instituti ad ista sacramenta recipienda admitti possunt.

4. Pueri earum parochiarum quae non habent scholam ecclesiae annexam, admitti possunt ad I. communionem in ea parochia, cujus scholam frequentant.

5. In scholis sororum nec internae nec externae scholares ad primam communionem admitti possunt de solo judicio sororum, sed decisio de earum admissione omnino et unice pertinet vel ad capellanum instituti vel ad parochum proprium.

6. Jubemus ut ipsimet rectores vel eorum vicarii parvulos ad S. Synaxim prima vice recipiendam praeparandos saltem per sex hebdomadas, et ter in unaquaque hebdomada catechismum doceant (C. Balt. III, 218).

7. Pueris, de quorum prima communione agitur, modis omnibus inculcandum est, quanti pro tota vita et ipsa aeternitate momenti sit ea ipsa dies qua prima vice S. Eucharistiam suscipiunt.

8. Ut et pueris et eorum parentibus illius diei dignitas magis magisque pateat, sacerdos saltem hebdomada praecedenti post missam quotidianam et quidem post preces a Summo Pontifice praescriptas recitet aliquas speciales preces pro neocommunicaturis.

9. Parentes admoneantur, ut pro viribus sacerdotes adjuvent in praeparandis filiis suis pro hac augustissima solemnitate, quum instructionibus et adhortationibus, tum praecipue precibus quotidianis, si fieri potest in communi sub vespere recitandis.

10. Dominica primam communionem praecedente annuntiet rector, se tali die (e. gr. feria 5.) missam pro neocommunicantibus celebraturum, simul invitans non solum ipsos pueros, sed et eorum parentes, patrinos et affines, ut pie assistant.

11. Eadem Dominica fidelibus notum faciet, pueros omnium parochiarum dioecesis Sti Ludovici die qua primam communionem recipiunt, itemque eorum parentes aliosque christifideles, qui eadem die ad S. Synaxim accedunt, indulgentiam plenariam

consuetis conditionibus lucrari posse. (Ex concess. Gregorii XVI, d. 3. Aprilis 1841.)

12. Per triduum autem immediate ante solemnitatem pueri tum exercitationibus spiritualibus, tum generali potissimum confessione proxime ad eam praeparentur.

Laudanda quoque est praxis eorum animarum curatorum qui pueris primam communionem recepturis suadent sese usque ad annum aetatis saltem vigesimum primum ab omni prorsus liquoris alcoholici genere esse refraenaturos.

13. Ipsa vero dies primae communionis quam solemnissime agatur, ut memoriam hujus diei etiam quoad solemnitatem exteriorem nulla unquam oblivio delere possit.

Campanae quum pridie sub vespere tum ipsa die statuto tempore more festivo sonentur. Ecclesia ipsa, praeprimis vero altare, omni apparatu decorentur.

Licet pro hac occasione vel ipso tempore Quadragesimae altaria floribus ornare (S. R. C. 11. Maji 1878).

Pueri solemni processione e schola in ecclesiam introducantur, ibique quam proxime altari sedilia occupent. — Renoventur publice vota baptismalia, deinde sacerdos pueris crucifixum ad osculandum porrigat, ut hoc modo quasi obsigillent sua vota.

Intra missam vero rector gravi adhortatione praeprimis parentes, qui nunquam fere dociliores sunt quam hac die quam fecit Dominus, admoneat de eorum obligationibus, ut hos liberos suos tali tantaque benedictione coelesti ditatos, verbis et exemplis in hujus diei gratia pro sua parte conservent.

14. Hora statuta pomeridiana iterum pastor suos agnos congreget, ut eos media perseverantiae edoceat, eosque hunc in finem insuper impositione scapularis B. M. V. sub speciali tutela Matris Divini Pastoris ponat.

15. Postridie vero Missam saltem cantatam pro gratiarum actione celebret, cui non solum ipsi neocommunicantes sed et eorum parentes et patrini assistant.

16. Ut agnelli illi qui prima vice pane vitae pasti sunt in hujus diei gratia eo vel certius perseverent, summopere commendamus, ut pro ipsis propriae societates sub tutela SS. Angelorum vel aliorum Sanctorum erigantur, quarum socii dominica statuta cujusque mensis propriis insignibus ornati ad sacram Synaxim accedant.

17. Commendamus insuper eundem in finem, ut ubi fieri potest, pueri ante primam communionem promittant sua subscriptione, se per duos saltem annos instructionibus catecheticis singulis dominicis habendis interfuturos — utque ipsorum parentes promittant, se curaturos esse, ut pueri catechesi assistant.

18. Nolumus autem modum praedictum obligatorium facere, sed eum adduximus eum in finem tantum, ut rectores pro rerum et locorum circumstantiis seligant, quae iis apta visa fuerint, non exclusis aliis, quae aptiora videantur.

CAPUT V.

DE CURA ET ZELO ANIMARUM.

1. Rectoribus stricte interdicimus, ne administrent Sacramenta Baptismatis et moribundorum fidelibus alius parochiae neve matrimoniis talium assistant, exceptis casibus verae necessitatis; confessiones autem aegrotorum cuicunque confessario in domibus privatis excipere licet.

2. Paroecias aliarum quam anglicae linguarum (Germanicae, Bohemicae, Polonicae . . .) omnino aequiparandas declaramus paroeciis anglicae linguae, et ab ipsis independentes; nullamque prorsus distinctionem existere inter utrasque quoad jura et privilegia parochialia constituimus.

3. Omnes ex Europa adventitii ecclesiae suae propriae linguae, ubicunque in loco domicilii invenitur, ascribendi sunt, et tamquam membra istius ecclesiae tractandi.

4. Idem valet de eorum liberis in America natis, donec sui juris fiunt et ex paterna potestate emancipati sunt—seu usque dum matrimonio ineundo proprias familias condiderunt.

5. Quoad adventitiorum descendentes, qui sui juris sunt, et quoad omnes in genere, qui lingua anglica tamquam vernacula secundum communem hujus termini acceptationem utuntur, liberum est ipsis ad ecclesias anglicas transire, sed pro semper.

6. Ad omnes difficultates evitandas, imprimis vero in locis Tridentinis ad dubia de matrimoniorum validitate praecavenda, volumus, ut fideles aliarum linguarum ad parochias anglicas transituri hanc suam intentionem novo suo parocho declarent, et sua subscriptione muniant. Ille vero hanc declarationem parocho eorum priori transmittat.

7. Meminerint rectorum auxiliarii vel assistentes, se quoad administrationem parochiae, praesertim vero quoad sacra, rectori subordinatos esse, ipsumque adjuvare debere in ferendo quolibet onere officii pastoralis.

8. Praecipimus sub poena suspensionis librum in quo referantur nomina baptizatorum, parentum et sponsorum, dies nativitatis et baptismatis in unaquaque ecclesia haberi; et librum matrimoniorum, in quo accurate etiam annotentur dispensationes forsan obtentae; et diligenter in eis omnia referri, ipsa sacerdotis manu, statim post sacramentorum administrationem. Libros quoque in quo confirmati et sepulti, ubi coemeteria ecclesiis annexa sunt, et res ecclesiae temporales referantur habendos jubemus. (Syn. S. Lud. 1850, VIII.)

9. Commendamus, ut rectores eorumque assistentes describant censum animarum ad Cancellariam Nostram remittendum, qui tertio quoque anno corrigatur; itemque ut omnes familias suae parochiae altero saltem quoque anno visitent.

Societates et Confraternitates piae.

1. Piae Sodalitates et Confraternitates ubique erigantur pro fidelibus utriusque sexus et cujuscunque aetatis.

2. Praeter sodalitates Marianas imprimis commendamus *Associationem Sanctae Familiae*, quam Sanctitas Sua Leo XIII. in omnibus parochiis introduci desiderat; piam associationem *Sanctae Infantiae*, pro infantibus et pueris scholarum, deinde *Conferentias a S. Vincentio* nuncupatas, pro sustentatione pauperum.

3. Studiose curent rectores, ut quoad confraternitatum erectionem,—sicut etiam quoad erectionem stationum viae crucis—omnia secundum leges fiant, ne fideles indulgentiis priventur (vide Appendicem).

4. Libenter agnoscimus et commendamus zelum et religionem earum societatum, quae in commodum colonorum primo ex aliis regionibus advenientium institutae fuerunt, ut eorum saluti quum temporali tum aeternae pro viribus consulant. Ut etiam Nos huic fini tam eminenti modo ad salutem animarum procurandam pertinenti, prospiciamus, permittimus, ut quotannis tempore rectoribus melius viso, collectio fiat per ecclesias, praesertim pro domibus illis Neo-Eboraci erectis, quas immigrantium vocant, quaeque protectioni Rmi et Illmi illius civitatis Archiepiscopi subsunt.

5. Imprimis vero pastoribus cordi esse debet, ut ea societas, quae est omnium prima earumque fundamentum, hoc est familia, sit vere christiana, una cum domo quam inhabitat.

Ad utriusque, et familiae et domus, sanctificationem eo melius et securius obtinendam et praeservandam, rector suos saepius moneat:

a) ut domus novas ab ipsis inhabitandas a sacerdote benedicendas curent juxta formam Rit. Romani,

b) ut in quacunque domo inveniantur signa sacra, imago crucifixi, B. M. V. — res benedictae, praecipue vero aqua benedicta, candelae . . . — praeter libros precum alii quoque libri pii, e, gr. Vitae Sanctorum — Ephemerides vere catholicae, quae multum ad aedificationem conferunt.

c) ut ubique introducatur pius ille ac vere christianus mos, tantis benedictionibus plenus, ante cubitum saltem preces in communi fundendi, quibus omnia familiae membra intersint.

Societates profanae.

Nulla societas, quae non est a Nobis approbata et agnita ut religiosa, quaeque non expresse statuit, se velle legibus dioeceseos obligari, in ecclesiam nec ad processiones religiosas admittatur *tanquam societas* i. e. dum socii insignia ferunt vel tamquam socii congregantur. Ne earum conventus in ecclesia annuntientur, nec opus ullum quod suscipient in ea commendetur, nec collectiones fiant pro illis, nec alio modo quidquam fiat a sacerdotibus vel in ecclesia, quod illas aut eorum suscepta agnosci vel approbari indicet.

Societates prohibitae.

Nemo ignorat Liberos Muratores ab Ecclesia damnatos esse et quidem sub poena excommunicationis. Damnatae sunt etiam Societates Equitum Pythiae, Sociorum Singularium et Filiorum Tempe-

rantiae; quoad autem adjuncta quibus positis participatio in his tribus societatibus tolerari potest, vide Literas Emi Pro-Delegati Apostolici in Appendice.

Insuper pastores animarum saepissime moneant fideles, *quascunque societates secretas perniciosas esse* pro fide et moribus eosque deterreant ab ingressu talium societatum — eo vel magis, quod nunc ubique fere societates ab ecclesiastica auctoritate approbatae inveniuntur, quae eadem beneficia temporalia suppeditant.

Varia.

1. Omnibus notum est quam gravia scandala oriantur, praesertim quoad sanctificationem Dominicarum, ex frequentia *chorearum publicarum noctibus Sabbatorum*. Proinde districte prohibemus participationem in illis choreis.

2. Quoad excursiones et convivia publica (*Fairs*, *Picnics*) . . omnia observentur, quae Conc. Pl. Balt. III. n. 290 et 291, adnotavit.

3. Omnino vero et strictissime interdicimus excursiones omnes quae nocturno tempore fieri solent.

4. Conventus musici, qui habentur, aliquando ad pecuniam lucrandam, etiam charitatis et religionis causa, tessera pro nummo data (*tickets*), nolumus in ecclesiis hujus dioeceseos etiam regularium, divino cultui dicatis, haberi, ne loci sanctitas violetur, plerisque qui adsunt se gerentibus tamquam in loco profano.

5. Graviter peccant, qui etiam solius lucri causa cantant aut instrumenta musica pulsant in templis protestantium (Instr. Card. Vic. 12. Julii 1878 a Leone XIII. sancita).

6. Catholicis omnino non licet nec per se nec per alios fungi patrini munere in baptismis, quae haereticorum filiis ab haereticis ministrantur. (C. S. Off. 10. Mai 1770).

7. Meminerint Confessarii et animarum curatores suos edocere quam malum, quamque periculosum sit conciones haereticorum aut schismaticorum adire, vel eorum exercitiis interesse, quocumque id fiat praetextu (Balt. III., 249).

8. In matrimoniis celebrandis, quum agatur de actu sacramentali, nonnisi testes catholici adhibeantur. (Decr. S. C. C. 29. Nov. 1672.)

CAPUT VI.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

1. Licet habitus non faciat monachum, tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre oportet, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. — *Clericorum itaque vestitus* nec sordes nec luxum sapiat; sit semper nigri vel subnigri coloris, et ejusmodi ut facile ejus ope viri ecclesiastici ab aliis omnibus distinguantur.

2. Quare decernimus, ut omnes sacerdotes domi et in ecclesia *vestem talarem*, et ubique *collare Romanum* deferant, quod Benedictus XIV sacerdotum insigne vocat.

3. Celebre inter sanctos Patres axioma habet, multa, quae fidelibus licent, clericos dedecere. Itaque ut ecclesiastico ordini honor suus et decus servetur, mandamus, ut sacerdotes a publicis equorum cursibus, a theatris et spectaculis, atque a cauponis abstineant. — Procul dubio dignitatem sui ordinis dehonestant clerici qui in viis aut in curribus publicis civitatum tabacum fumigare videntur.

4. Sacerdotes erga alterutrum non tantum speciem illam urbanitatis prae se ferant, quam socii aliarum vitae conditionum ad invicem exercent, sed verae charitatis et confraternitatis animum et osten-

dant et nutriant. "Supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis" (Eph. 4), semper prae oculis habentes illud verbum Domini: "omnia quaecunque vultis ut faciant vobis (homines), et vos facite illis." (Matth. 7, 12.)

5. "Si qui in posterum clerici vel laici sive per se sive per socios aliosve ab ipsis concitatos in foliis quibusvis publicis aut libellis in vulgus editis ecclesiasticos viros, praesertim in dignitate constitutos, verbis injuriosis, maledictis, conviciis adoriantur; multo magis si Episcopi agendi rationem in dioecesi regenda et administranda per ejusmodi folia aut libellos vellicare et damnare praesumpserint, declaramus tum scriptores ipsos tum participes et fautores perniciosissimi hujus abusus esse ordinis perturbatores, auctoritatis ecclesiasticae contemptores et hostes, gravissimique scandali reos; ac proinde dignos qui, culpa ipsorum satis probata, canonicis quoque censuris puniantur." (Balt. III, n. 231.)

6. Districte prohibemus, et quidem sub poena suspensionis, quominus sacerdos contra ecclesiasticam personam litem civilem, etiam de re temporali, intentet absque permissione vel Sedis Apostolicae vel Nostra, aut hujusmodi actionem laicae personae assignet. Quodsi ecclesiastica vel religiosa persona aliam personam ecclesiasticam vel religiosam coram tribunali civili temere citaverit de re juris stricte ecclesiastici, noverit se in censuras a jure latas incidere.

7. Juniores de clero quotannis per quinquennium a sua ad presbyteratus ordinem elevatione dabunt specimen sacrae scientiae theologicae coram

Nobis et examinatoribus synodalibus. Praeter vitae morumque ordinem et rationem merita horum examinum multum conferent ad informandum Nostrum in designandis pastoribus judicium.

Quodsi requisita examinatorum suffragia non obtineantur, iterum iterumque examini subjiciendi erunt arbitrio Nostro, usquedum votis examinatorum plene satisfecerint, omni interim promotionis ad munus pastorale spe ablata.

8. Collationes de rebus ad doctrinam, morum, sacrorumque rituum observantiam pertinentibus, bis in anno habendas decernimus, locis et temporibus a Nobis designandis, ad quas omnes sacerdotes sive saeculares sive regulares qui facultatem confessiones excipiendi a Nobis acceperint idque munus in hac dioecesi actu exercent, ut se conferant, hoc decreto jubemus. (St. Ludov. n. XIX.)

9. Stricte praecipimus ut omnes Nostri sacerdotes statim post ordinationem vel in dioecesim cooptationem societati illi nomina dent, quae a Nobis pro sustentatione clericorum infirmorum erecta est.

10. Commendamus etiam ut omnes sacerdotes Nostri piae illae associationi dioecesanae se ascribendos curent, quae a redemptione e purgatorio nuncupatur, et cujus beneficium principale in eo consistit, ut pro defuncto socii superstites sex Missas persolvant.

CAPUT VII.

DE RERUM TEMPORALIUM ADMINISTRATIONE.

I. De Aedificandis et Reparandis Ecclesiis et de Aedibus Ecclesiasticis.

1. "Nulli presbytero licet, seclusa venia Ordinarii in scriptis data, nomine ac jure proprio retinere sive ecclesiam, sive scholas, sive domum presbyteralem, sive coemeterium, aut bona alia ecclesiastica, pro quorum acquisitione fideles qualicumque modo subsidia contulerint; sed ea quamprimum transferet in Ordinarium aut in societatem seu corporationem ab eodem sancitam . . Edicimus etiam ne quis rector ut quilibet sacerdos ecclesiae pecuniam in mensa numularia privato suo nomine depositam teneat, aut mensae libellum (*bank book*) suae privatae personae inscribi permittat." (Con. Pl. Balt. 3. No. 280.)

2. Nemini fas esse declaramus, sive de nova ecclesia vel schola erigenda, sive de amplificandis aut notabiliter immutandis jam exstantibus ecclesiis quidquam statuere aut moliri, absque licentia Nostra in scriptis data. Idem valet de aliis aedibus ad ecclesiam pertinentibus.

3. Iconographias (*plans*) cum probabili impensarum computatione deferri jubemus Commissioni sacerdotum (*Building Committee*) a Nobis constituendae, cui etiam normam agendi in adjunctis praescribemus.

4. Nemini in posterum licebit, debitis gravare ecclesiam ultra ducenta scutata, nisi de licentia Ordinarii.

5. Mandamus, ut omnia aedificia ecclesiastica contra damnum ex incendio, fulgure vel tempestatibus oriundum, ab una vel pluribus societatibus assecurentur.

6. Stricte mandamus ut mense Januarii cujuslibet anni ratio Nobis reddatur tum de statu animarum tum de reditibus ecclesiae, juxta formulas a Nobis praescriptas. Quodsi aliquis Rector hanc rationem ad Cancellariam Nostram, lapso mense Februarii, reddere neglexerit, sciat se ipso facto a divinis suspensum esse et quidem suspensione Nobis reservata.

II. De Reditibus.

Tres in hac dioecesi enumerantur Fontes Redituum Ecclesiarum, scilicet:

1. Locatio scamnorum; et hic notandum, Rectori nunquam licere scamna locare externis, nisi prius documentis probaverint se in propria Ecclesia scamna jam locavisse.

2. Collectae, quae de more fiunt infra Divina officia.

3. Funeraria; quare soli Rectori competit jus sepeliendi mortuos de sua parochia.

III. De Salario Rectoris et Assistentium.

1. Salarium annuum Rectoris in Nostra urbe Metropolitana, et alibi, ubi Rectori opus sit sacerdote assistenti, mille scutata ($1000.00) constituimus; id pro suo salario nullus Rector sibi vindicare potestest, plus quam mille scutata.

2. Caeteri Rectores extra urbem accipiant octingenta scutata ($800).

3. Sacerdotes assistentes, ab Ordinario Ecclesiae adscripti, accipiant quadringenta scutata ($400).

4. Pro victu uniuscujusque assistentis, Rector accipiat quovis mense viginti quinque scutata ($25) de thesauro Ecclesiae.

5. Porro Ecclesia supplebit supellectilem domus parochialis, et sumptus necessarios ad calefaciendum, illuminandum, et ad aquam supplendam.

6. Deficiente autem salario statuto, quacunque de causa, nunquam datur recursus ad Episcopum vel Dioecesim; et monemus sacerdotes curam gerentes in missionibus pauperibus, ut minore sint contenti summa.

7. Si quae pars salarii in thesauro ecclesiae maneat, nec inter debita ecclesiae clare numerata sit, habenda est ut ecclesiae donata, nec post annum reclamari potest.

IV. De Cathedratico.

1. Cathedraticum quotannis infra mensem post diem Pentecostes solvendum est ab omnibus et solis Ecclesiae Rectoribus, quibuscunque privilegiis non obstantibus.

2. Summa, quae pro Cathedratico erit solvenda, computatur ex summa Redituum Ecclesiae (ut superius in paragrapho de Reditibus) ; ita ut Rector solvere teneatur quinque ex centum, (i. e. % 5 or $^1/_{20}$) ubi vero summa talis ex enarratis fontibus mille scutata non attingit, vel non excedit, Rector tria saltem ex centum (3 %) solvet. Animadvertendum, si forsan scamna non locentur, alterum fontem reditus aperiri subscriptionibus fidelium.

V. De Stipendiis et Stolariis.

1. Juxta normam vigentem, stipendium pro Missa privata, est unum scutatum ; et ad omnem suspicionem turpis lucri removendam, non licet plus exigere, nec minus accipere.

2. Pro Missa cantata aut solemni nolumus in praesenti quidquam statuere propter consuetudinis diversitatem.

3. Jura Stolae pertinent ad Rectorem, et oblationes fidelium, factae occasione Baptismatis et Matrimonii, quocunque ex titulo, Rectori cedi omnino debent.

VI. De Collectis ab Ordinario praescriptis.

Statuimus ut in omnibus Ecclesiis hujus Dioeceseos sive saecularium sive regularium, sequentes fiant Collectae:

1. Dom I. Quadragesimae pro Indis et Mauris;

2. Feria VI. Tridui Sacri pro Sacro Sepulchro;

3. Dominica Paschae pro Clero;

4. Dominica post Festum App. Petri et Paulo pro Papa;

5. Festo Nativitatis Domini pro Seminario;

6. Pro sustentatione orphanotrophiorum in parochiis anglicae linguae eum modum adoptandum, respective retinendum, praescribimus, qui conformis est regulis quae a societate propria pro orphanis sustentandis institutae sunt, faciendo collectas per domos. In ecclesiis vero Germanicae linguae, sicuti hucusque fieri solebat, collectae extraordinariae Dca. I. Maji et I. Octobris ad hunc finem habeantur.

7. Quoad omnes collectas extraordinarias statuimus, quae sequuntur:

A. Mandamus ut omnes Rectores istas collectas praenuntient et explicent.

B. Ex summa totali cedenda Ecclesiae talis summa, quae ordinariis Dominicis colligitur.

C. Residuum infra mensem tradendum.

D. In quantum ad Collectam Paschalem:

a) Summa totalis dividenda in octo partes, quarum quinque ad Rectorem; tres ad assistentem pertinent.

b) Ubi duo habentur assistentes, Rector accipiat quatuor partes, et cuilibet assistenti cedantur duae partes.

c) Ubi adhuc plures dantur sacerdotes assistentes, Rector accipiat tertiam partem totius collectae, et residuum aeque dividatur inter assistentes.

d) Casu, quo quis (assistens) in aliam Ecclesiam transferatur, accipiat justam proportionem ab utraque Ecclesia juxta tempus, quo ille utrique Ecclesiae adscriptus fuerit.

8. Districte prohibemus ne sacerdotes aliunde venientes eleemosynas petant in hac dioecesi, vel etiam Nostri sive per se sive per alios aliasve extra congregationes sibi commissas absque Nostra *et* parochi licentia in scriptis concessa.

III.

APPENDIX.

A.

Collectio opportuna variorum Decretorum S. Sedis Apostolicae.

I.

DECISIONES SELECTAE ABBREVIATAE.

I Circa SS. Eucharistiam.

1. Non licet superimponere Reliquias, Imagines, flores Tabernaculo in quo SS. Sacramentum asservatur ita ut Tabernaculum pro basi inserviat. (S. R. C. 3 Apr. 1821.)

2. In tabernaculo SS. Sacramenti esse non debent vasa sacrorum Oleorum, vel Reliquiae, vel aliud. (S. C. Episc. 3 Maii 1693.)

3. Pro certo habendum est, ob consuetudinem quae ubique invaluit quaeque a Parochis abrogari non potest, nullum nunc extare praeceptum, vi cujus Communio solummodo intra Missam distribui debeat. (S. R. C. 7 Dec. 1844.)

4. Stola pro ministranda SS. Eucharistia extra Missam debet esse coloris officio convenientis. (S. R. C. 12 Mart. 1836.)

5. Quotiescumque S. Communio extra Missam administratur, bursa cum corporali est adhibenda, et quidem de praecepto stricto. (S. R. C. 27 Feb. 1847.)

6. Sacerdos in benedicendo populum cum Sacra Pixide, debet illam totam cooperire extremitatibus veli humeralis. (S. R. C. 23 Feb. 1839.)

7. Non licet novas particulas consecratas cum veteribus miscere, nec licet veteres consecratas species imponere noviter consecratis: sed in alia pyxide vel vase sunt conservandae, nisi statim a sacerdote in Missa sumi possint. (S. R. C. 3 Sept. 1672.)

II. Circa Sacrificium Missae.

1. Paramenta confecta ex serico, et variis coloribus floribusque intertexta, ita ut vix dignoscatur color primarius et praedominans, usurpari non valent mixtim pro albo, rubro, viridi, etc. (S. R. C. 23 Sept. 1852.)

2. Sacra paramenta coloris aurei inservire non possunt pro coloribus albo, viridi et rubro. (S. R. C. 29 Mart. 1851.) ,,Sed locorum consuetudinem tolerandam''. (S. R. C. 28 Apr. 1866.)

3. Permitti potest uti Palla a parte superiori panno serico cooperta et auro contexta, dummodo palla linea subnexa calicem cooperiat ac pannus superior non sit nigri coloris aut referat aliqua mortis signa. (S. R. C. 10. Jan. 1852.)

4. Si statim post Missam vel post Vesperas Benedictio habetur cum SS. Sacr. paramentis ejusdem coloris utendum est ut in Missa vel Vesperis, sin vero, Benedictio fit separata et distincta a Missa vel Officio, semper adhibenda sunt paramenta albi coloris. (S. R. C. 20 Sept. 1806.)

5. Non licet cantare, inter Missarum solemnia, cantica vulgari sermone. (S. R. C. 12 Mart. 1839.)

6. Qui celebrat in altari privilegiato pro singulis diebus debet uti paramentis nigris diebus non impeditis ut privilegii indulgentiam consequatur. (S. R. C. 11 Apr. 1840.)

7. In funere vel anniversario sacerdotis dici potest tam Missa prima quae est pro Episcopis assignata, ut in Commemoratione omnium defunctorum, quam secunda in die obitus seu depositionis, dummodo oratio sit *Deus qui inter apostolicos.* (S. R. C. 29 Jan. 1752.)

8. Sacerdos celebrans Missam in qua chorus tenetur cantare *Credo*, non potest illam prosequi eo tempore quo a choro idem symbolum cantatur. (S. R. C. 17 Dec. 1695.)

9. In iis Ecclesiis in quibus ob defectum sacerdotum in hebdomada majore celebrans decantare cogitur partem passionis, illam decantare debet in cornu Evangelii. (S. R. C. 12 Mart. 1836.)

10. In Missa solemni sacerdos non debet dicere *Ite Missa est*, quod dicitur tantum a Diacono; sed debet dicere *Benedicamus Domino* et *Requiescant in*

pace, quamvis eadem cantentur a Diacono. (S. R. C. 7 Sept. 1816.)

11. In Feria V in Coena Domini in eadem Ecclesia praeter Missam solemnem alia Missa privata non est celebranda nisi probante Episcopo. (S. R. C. 17 Mart. 1773.)

12. Aqua baptismalis in Parochiis est benedicenda in Sabbatis Paschae *et Pentecostes*, *non obstante quacunque contraria consuetudine*, quae omnino eliminari debet. (S. R. C. 13 Apr. 1874 et 17 Junii 1892.)

13. Si sacerdos celebrat sine ministro, non debet dicere bis Confiteor ante Introitum. (S. R. C. Erien. 4 Sept. 1875.)

14. Sacerdos pronuntians in Canone Missae nomen alicujus Sancti, de quo factum est officium vel saltem commemoratio, facere debet inclinationem. (S. R. C. 7 Sept. 1816.)

15. Preces a SS. Domino Nostro Leone XIII post Missam sine cantu dicendae, recitandae sunt immediate expleto ultimo Evangelio. (S. R. C. 23 Nov. 1887.)

16. Calix et Patena suam amittunt consecrationem per novam deaurationem. (S. R. C. 14 Jun. 1845.)

III. Circa assistentiam erga moribundos.

1. Benedictio Apostolica cum indulgentia plenaria juxta Constitutionem Benedicti XIV. „Pia

Mater''. (5 Apr. 1774), impertiri potest pueris, qui ob defectum aetatis primam Communionem nondum susceperunt. (S. R. C. 16 Dec. 1826.)

2. Invocatio saltem mentalis SS. Nominis Jesu est conditio sine qua non ad lucrandam indulgentiam plenariam vi Benedictionis Apostolicae. (S. R. C. 22 Sept. 1892.)

3. Ter recitandum est ,,Confiteor'' ratione administrationis S. Viatici, Extremae Unctionis atque Indulgentiae moribundis impertiendae. — Ista porro Indulgentia invalide confertur si omittatur formula a Pontifice praescripta. (5 Febr. 1841.)

IV. Circa ecclesiasticam sepulturam.

1. Sepultura ecclesiastica privantur infideles, haeretici et schismatici, excommunicati notorii et vitandi, qui mentis compotes sibi mortem conscierint, nisi aliquo forsan tempore superstites resipiscentiae signa dederint; qui morti proximi obstinate et coram testibus Sacramenta sibi oblata respuerint; qui notorie scandalosam degerint vitam, nec poenitentiae ullum dederint signum; demum qui duello perierint, dederint vel non dederint resipiscentiae indicia. (Conc. Pl. Balt. II, 389.)

2. Non licet dare ecclesiasticam sepulturam seipsos occidentibus ob desperationem vel iracundiam (secus tamen si ex insania id accidat) nisi ante mortem signa dederint poenitentiae. Praeterea quando certe constat vel de iracundia vel desperatione, negari debet ecclesiastica sepultura et vitari debent solemnitates exequiarum; quando autem certo constat de

insania, datur ecclesiastica sepultura; tandem si dubium superest utrum mortem quis sibi dederit per desperationem an per insaniam, dari potest ecclesiastica sepultura, vitatis tamen pompis et solemnitatibus exequiarum. (S. C. S. O. 16 Maii 1866.)

V. Circa matrimonium.

1. Quando plures simul copulantur, accepto primum singulorum consensu, et rite celebratis singulis matrimoniis, dictaque pro singulis forma: Ego vos, etc., nihil obstat, quominus benedictiones annulorum, et reliquae fiant in communi per verba generalia. (S. C. Inq. 1 Sept. 1841.)

2. Parochus assistens matrimonio mixto licito, non modo benedicere solemniter nequit, sed etiam (sine stola et cotta) abstineat a benedictione annuli, et a dicenda forma: Ego vos conjungo, etc. (S. C. de Prop. Fide, 5 Jul. 1841.)

VI. Circa benedictionem post partum.

Benedictionem mulieris post partum fieri debere a Parocho, si expetitus ipse fuerit, *posse* autem fieri a quocunque sacerdote, si expetitus ipse pariter fuerit, in quacunque ecclesia vel oratorio publico, certiore facto superiore ecclesiae. (S. R. C. 13 Junii 1893.)

VII. Circa facultatem absolvendi tempore navigationis.

Possunt sacerdotes iter arripientes ab Ordinariis locorum unde naves solvunt adprobari, ita ut itinere perdurante fidelium secum navigantium confessiones valide ac licite excipere valeant, usquedum perveniant ad locum ubi alius superior ecclesiasticus jurisdictione pollens constitutus sit. (S. O. 17 Mart. 1869.)

II.

DECRETA RECENTIORA IN EXTENSO.

A.

De Sacrificio Missae.

I. De Missa conformi Officio Ecclesiae vel Oratorii publici.

Urbis et Orbis.

Quod Benedictus XIV diserte docet (Op. de Beat. et Can. Lib. IV. part. II. C. II. n. 5), Missa nempe in honorem Beatorum, vel etiam Sanctorum nonnullis Ordinibus Regularibus ex indulto concessas, ab aliis Presbyteris sive Saecularibus, sive Regularibus, celebrari non posse; Sacra Rituum Congregatio iampridem declaraverat, ac postea quampluribus particularibus seu generalibus Decretis retinuit confirmavitque.

Cum nihilominus, eodem Benedicto XIV fatente, incongruum videretur, ut exteri Sacerdotes ad Regularium Ecclesias, die pro festo statuta, confluentes, aliam celebrarent Missam ab illa, iisdem Regularibus concessa; hinc factum est, ut Summi Pontifices in ipso Beatificationis Brevi, Indultum pro Regularibus datum, ad omnes et singulos Sacerdotes in praefatis Ecclesiis celebrantes extenderent.

Id autem progressu temporis consultius ac prope necessarium indicatum est, cum novae pluresque

Missae, iisdem Regularibus, seu etiam permultis particularibus Ecclesiis quum Sanctorum, tum Beatorum indultae sint; ne videlicet, latae super celebratione Missarum leges, aut confusionem aut facilem transgressionem paterentur; nisi et forte earundem observantia fere impossibilis fieret.

Quae quidem omnia cum pluries, ac praesertim in una Romana, Dubiorum, in conventu habito die 23 Augusti 1890, perpensa fuissent; decrevit, ut ad omnem difficultatem penitus amputandam, certae normae hac in re universis Sacerdotibus in singulis casibus constituerentur. Idcirco in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis, hanc generalem regulam ab omnibus servandam constituit:

Omnes et singuli sacerdotes, tam saeculares quam regulares ad ecclesiam confluentes, vel ad oratorium publicum, Missas quum Sanctorum tum Beatorum etsi regularium proprias, omnino celebrent Officio ejusdem ecclesiae vel oratorii conformes, sive illae in Romano, sive in Regularium Missali contineantur; exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum propriis.

Si vero in dicta ecclesia vel oratorio officium ritus duplici inferioris agatur, unicuique ex celebrantibus liberum sit Missam de requie peragere, vel votivam, vel etiam de occurrenti feria: iis tamen exceptis diebus, in quibus praefatas Missas rubricae Missalis Romani, vel S. R. C. decreta prohibent.

Super quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per me subscriptum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua sententiam eiusdem Sacrae Congregationis ratam

habuit et confirmavit; Rescripta seu Decreta tum particularia tum etiam generalia, in contrarium facientia, suprema auctoritate sua penitus abrogando.

Die 9 mensis Decembris anno 1895.

CAJ. Card. ALOISI-MASELLA, *S. R. C., Praef.*

L.✠S. ALOISIUS TRIPEPI, *S. R. C., Secr.*

Addit. In Ruthenen. die 22 Mai 1895: Ad dubium: Utrum post Decretum generale die 9 Decembris 1895 editum: „*De Missa conformi Officio Ecclesiae vel Oratorii publici*" Calendario *loci*, an vero *Celebrantis* respondere debeant Missae, quae celebrantur in Capellis Episcoporum, Seminariorum, Collegiorum, piarum Communitatum, Hospitalium et Carcerum?

S. Rituum Congregatio respondendum censuit:

Dummodo agatur de Capella principali, quae instar Oratorii publici ad effectum memorati Decreti habenda est, Affirmative ad I, Negative ad II.

II. Decretum generale:

Orationum et Sequentiae in Missis Defunctorum.

Ut omne tollatur dubium super Orationibus et Sequentia dicendis in Missis Defunctorum, Sacra Rituum Congregatio declarat:

1. Unam tantum esse dicendam Orationem in Missis omnibus, quae celebrantur in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, die et pro die obitus seu depositionis, atque etiam in Missis cantatis, vel

lectis permittente ritu diebus III, VII, XXX, et die anniversaria, nec non quandocumque pro defunctis Missa *solemniter* celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondeat, uti in Officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu, et in Anniversariis late sumptis.

2. In Missis quotidianis quibuscumque, sive lectis sive cum cantu, plures esse dicendas Orationes, quarum prima sit pro defuncto vel defunctis certo designatis, pro quibus Sacrificium offertur, ex iis quae inscribuntur in Missali, secunda ad libitum, ultima pro omnibus defunctis.

3. Si vero pro defunctis in genere Missa celebretur, Orationes esse dicendas, quae pro Missis quotidianis in Missali prostant: eodemque ordine quo sunt inscriptae.

4. Quod si in iisdem quotidianis Missis plures addere Orationes Celebranti placuerit, uti Rubricae potestatem faciunt, id fieri posse tantum in Missis lectis, impari cum aliis praescriptis servato numero, et Oratione pro omnibus defunctis postremo loco assignata.

5. Quod denique ad Sequentiam attinet, semper illam esse dicendam in quibusvis cantatis Missis, uti etiam in lectis quae diebus ut supra privilegiatis fiunt: in reliquis, vel recitari posse vel omitti ad libitum Celebrantis iuxta Rubricas. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 30 Junii 1896.

Caj. Card. Aloisi-Masella, *S. R. C., Praef.*

L.✠S. Aloisius Tripepi, *S. R. C., Secr.*

III. De Missa votiva SS. Cordis Jesu prima feria quinta per menses.

In iis ecclesiis et oratoriis, ubi feria VI, quae prima unoquoque in mense occurrit, peculiaria exercitia pietatis in honorem Divini Cordis, approbante loci Ordinario, mane peragentur; Beatissimus Pater indulsit, ut hisce exercitiis addi valeat Missa votiva de Sacro Corde Jesu; dummodo in illam diem non incidat aliquod Festum Domini, aut Duplex primae classis, vel Feria, Vigilia, Octava ex privilegiatis: de cetero servatis rubricis. (S. R. C. 28 Junii 1889).

„Missa votiva SS. Cordis Jesu per Decretum diei 28 Junii 1889, [feria sexta, quae prima occurrit in unoquoque mense] concessa" debet celebrari „ritu quo celebrantur Missae votivae solemnes cum *Gloria* et *Credo* et unica oratione." S. R. C. 20 Maii 1890, in Mont. Polit.—Haec etiam valere „de missa lecta, seu sine cantu," declaravit eadem S. R. C. 20 Maii 1892 et 22 Junii 1892.

IV. De cantu in lingua vernacula intra Missam privatam.

Rector Parochialis Ecclesiae vulgo *Ozieri*, intra fines Dioeceseos Bisarchien, in Sardinia, de consensu sui Rmi Episcopi, a Sacra Rituum Congregatione sequentis Dubii solutionem humillime postulavit, nimirum:

„An in eadem Parochiali Ecclesia a fidelibus intra Missam cani possint iuxta antiquum morem, a nonnullis annis interruptum, preces vel hymni lingua

vernacula compositi in honorem Sancti vel Mysterii, cujus festum agitur?"

Sacra porro Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, atque exquisito voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

Affirmative de consensu Ordinarii quoad Missam privatam;

Negative quoad Missam solemnem sive cantatam iuxta Ordinationis pro Musica Sacra Articulum septimum et octavum; non obstante Decreto die 21 Junii 1879 dato et aliis quibuscumque.

Atque ita servari mandavit.—Die 31 Jan. 1896.

CAJ. Card. ALOISI-MASELLA, *S. R. C., Praef.*

L.✠S. A. TRIPEPI, *Secretarius.*

V. De vino in Missa adhibendo.

Quaenam quantitas spiritus vini (alcohol) sit licita in vino albo ad sacrificium Missae inserviente.

1.

Beatissime Pater,

Joannes Ludovicus Robert, Episcopus Massiliensis, ad pedes S. V. humillime provolutus, dubium infrascriptum S. Sedis examini et judicio ad Religionis bonum committendum existimans, quaerit.

In pluribus Galliae partibus, maxime si eae ad meridiem sitae reperiantur, vinum album, quod

incruento Missae sacrificio inservit, tam debile est, ac impotens, ut diu conservari non valeat nisi eidem quaedam spiritus vini (spirito-alcohol) quantitas admisceatur:

1. An istiusmodi commixtio licita sit?

2. Et si affirmative, quaenam quantitas hujusmodi materiae extraneae vino adjungi permittatur?

3. In casu affirmativo, requirituine spiritus vini ex vino puro seu ex vitis fructu extractus?

Feria IV die 30 Julii 1890.

In Congregatione Generali habita per Emos ac Rmos D. D. Cardinales in rebus fidei et morum Generales Inquisitores, proposita suprascripta instantia, praehabitoque Rmorum D. D. Consultorum voto, iidem Emi ac Rmi Patres rescribi mandarunt:

Dummodo spiritus (alcohol) extractus fuerit ex genimine vitis, et quantitas alcoholica addita una cum ea quam vinum, de quo agitur, naturaliter continet, non excedat proportionem duodecim pro centum, et admixtio fiat quando vinum est valde recens, nihil obstare quominus idem vinum in Missae sacrificio adhibeatur.

Sequenti feria V, die 31 d. m. facta de his Ssmo. D. N. Leoni PP. XIII relatione, Sanctitas Sua resolutionem Emorum Cardinalium adprobavit, et confirmavit.

L.✠S. J. Mancini, S. R. et U. Inq. Not.

2.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Precibus ab Amplitudine Tua commendatis N. N. exposito quod vinum dulce, quod pro Missae sacrificio adhiberi solet, in Hispania spiritum ultra proportionem duodecim pro centum naturaliter continet, sequentia dubia proponebat:

1. Utrum decem partium spiritus pro centum commixtio ut ex experientia constat, omnino ad vini dulcis conservationem necessaria, continuari possit?

2. Utrum vinum ita confectum adhiberi possit in Missae sacrificio?

Re ad examen vocata in Congregatione habita Feria II die 15 curr. mensis Emi Dni. Card. Inquisitores una mecum Generales decreverunt: Negative in ordine ad Missae sacrificium.

Quod dum significo, Deum precor ut Te diu sospitet.

Ampl. Tua addict. in Dno.

R. Card. Monaco.

Dno. Archiep. Tarraconen.

Romae d. 19 Apr. 1891.

3.

Beatissime Pater,

Archiepiscopus Tarraconensis in Hispania, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, humiliter exponit, Tarraconensem regionem optimis vineis abundare,

ex quo fit ut vinorum commercium ad exteras nationes protrahatur, et quamplurimi populi, Americae praesertim, a nostris vinicolis et mercatoribus vinum ad S. Missae Sacrificium conficiendum emere soleant.

At dubium hac super re a r. p. d. Episcopo Massiliensi dudum propositum, et lata a S. Rom. et Un. Inquisitione feria IV die 30 Iulii 1890 relativa responsio vinicolos ipsos et mercatores curis et anxietatibus affecerunt. Vina enim dulcia, quae hac in regione conficiuntur quaeque magnopere a Sacerdotibus pro Missae celebratione desiderantur, post primam fermentationem jam duodecim vis alcoholicae gradus exsuperant, ad quos massiliensia nec permissa succi alcoholici additione pertingunt.

Nihilominus ut haec generosa et dulcia vina, licet majori, qua massiliensia, virtute praedita, ad exteras nationes tuto exportari queant, decem et octo vis alcoholicae gradibus polleant oportet: secus enim propter ipsam eorum dulcedinem novis fermentationibus sunt obnoxia, et in maris transmissione ut plurimum acescunt.

Quam ob rem vinarii nostri mercatores, eosque inter maxime Augustinus Muller, vir de religione catholica optime meritus, gratiam implorant ei similem quae Episcopi Massiliensis supra laudati votis concessa fuit, facultatem videlicet roborandi spiritu seu alcohol, ex genimine quidem vitis extracto, vina praesertim dulcia, ita ut ea quae naturaliter plus minusve ad quindecim vis alcoholicae gradus pertingunt, ad octodecim increscant. Ita enim eorum impeditur corruptio, quam iteratis fermentationibus subire solent, tutiusque evehi possunt ad exteras nationes, quae apto vino carent ad decorose litandum.

Praeterea, ut ajunt, in nonnullis Hispaniae regionibus viget perantiqua consuetudo, qua plures Sacerdotes vinum pro S. Missae Sacrificio sibi conficiunt praemissa vel ignea musti evaporatione vel uvarum ad solis radios exsiccatione, qui mos cohonestari videtur declaratione S. Officii de die 22 Iulii 1706 circa vinum ex acinis uvae passae confectum.

Hisce praehabitis, ad omnem in re tanti momenti dubitationem auferendam, Archiepiscopus Orator humiliter declarari postulat:

1. Utrum praelaudatis vinis, praesertim dulcibus, pro eorumdem conservatione tantum spiritus seu alcohol ex uva deprompti addi queat, ut ad septendecim circiter vel octodecim vis alcoholicae gradus increscant; quin cessent exinde esse materia apta pro S. Missae Sacrificio.

2. Utrum licitum sit ad S. Missae Sacrificium conficiendum uti vino ex musto obtento, quod ante fermentationem vinosam per evaporationem igneam condensatum est.

Feria IV., die 5 Augusti 1896.

In Congregatione Generali S. Rom. et Un. Inquisitionis, proposita suprascripta instantia praehabitoque Rmorum DD. Consultorum voto, Emi ac Revmi Dni Cardinales Inquisitores Generales respondendum decreverunt:

Ad I. Attentis noviter deductis, dummodo in casu proposito spiritus extractus fuerit ex genimine vitis, et quantitas alcoholica adjungenda, una cum ea quam vinum, de quo agitur, naturaliter continet, non excedat proportionem septendecim vel octodecim

pro centum, et admixtio fiat quando fermentatio tumultuosa, ut ajunt, defervescere inceperit; nihil obstare quominus idem vinum in Missae Sacrificio adhibeatur.

Ad II. Licere; dummodo decoctio hujusmodi fermentationem alcoholicam haud excludat, ipsaque fermentatio naturaliter obtineri possit, et de facto obtineatur.

Sequenti vero fer. VI. die 7 dicti mensis SSmus D. N. Leo div. prov. Pp. XIII. in solita Audientia r. p. d. Adsessori S. Officii impertita, relatas sibi Emorum Patrum resolutiones benigne adprobare dignatus est.

Ios. Mancini, *S. R. et Univ. Inquis. Notarius.*

B.

De matrimonio.

I. Quoad copulam in ordine ad matrimonia clandestina.

Leo PP. XIII. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Consensus mutuus, unde matrimonia iusta nascuntur, non verbis dumtaxat sed aliis quoque signis exterioribus patefieri ac declarari potest. Quamobrem Alexander III *), Innocentius III **), et Gregorius IX †), decessores Nostri, merito decreverunt

*) Cap. *Veniens*, de Sponsal.
**) Cap. *Tuo nos*, eodem tit.
†) Cap. *Is qui fidem*, eodem tit.

ut carnalis copula, si sponsalia de futuro certa ac valida praecessissent, cum in iudicio tum extra iudicium pro vero coniugio haberetur, nisi impedimentum canonicum obstitisset. Et in hac iuris praesumptione tantum roboris inesse voluerunt, ut firmum ipsa statueret sanciretque ius nec probationem contrariam ullam admitteret. Deinde vero matrimonia clandestina, id est, non praesente Parocho et duobus tribusve testibus inita, quum Concilium Tridentinum *) irrita infectaque esse iussisset, ius illud priscum, ut erat necesse, valere desiit ubicumque promulgata vel moribus usuque recepta Tridentina lex. Quibus autem illa locis non viget, in iis semper Apostolicae Sedis iudicium fuit, canones, quos indicavimus, ratos atque firmos permansisse. Sed aetatum decursu, ex conscientia et cognitione christianorum sensim effluxere. Plures enim Episcopi ex iis regionibus, in quibus matrimonia clandestina contra fas quidem inita, sed tamen valida iudicantur, haud ita pridem rogato quid populus ea de re sentire videretur, plane retulerunt, canonicam de coniugiis praesumtis disciplinam passim exolevisse desuetudine atque oblivione deletam: propterea vix aut ne vix quidem contingere, ut copula inter sponsos effectu maritali nec fornicario habeatur: eamque non matrimonii legitimi usum sed fornicationis peccatum communi hominum opinione existimari; imo vix persuaderi populo posse, sponsalia de futuro per coniunctionem carnalem in matrimonium transire.

His igitur rebus et causis, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in rebus fidei Inquisitorum generalium, supra memoratos canones et alias quascumque iuris canonici ea de

*) Sess. XXIV. Cap. 1. de Reform. matrim.

re dispositiones, etiam speciali mentione dignas, per hoc Decretum Nostrum abrogamus et abolemus, et pro abolitis et abrogatis, ac si nunquam prodiissent, haberi volumus.

Simul per has litteras Nostras decernimus ac mandamus ut deinceps illis in locis in quibus coniugia clandestina pro validis habentur, a quibusvis iudicibus ecclesiasticis, in quorum foro causas eiusmodi matrimoniales agitari et iudicari contigerit, copula carnalis sponsalibus superveniens non amplius ex iuris praesumptione coniugalis contractus censeatur, nec pro legitimo matrimonio agnoscatur seu declaretur. Huius tamen auctoritate Decreti induci nolumus necessitatem formae Tridentinae servandae ad matrimonii validitatem ubi illa forma modo non viget.

Datum Romae apud S. Petrum die 15 Februarii MDCCCLXXXXII, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

Leo P. P. XIII.

II. Instructio S. C. De Propaganda Fide. Super Dispensationibus Matrimonialibus.

Cum dispensatio sit juris communis relaxatio cum causae cognitione, ab eo facta qui habet potestatem, exploratum omnibus est dispensationes ab impedimentis matrimonialibus non esse indulgendas, nisi legitima et gravis causa interveniat. Quin imo facile quisque intelligit, tanto graviorem causam requiri, quanto gravius est impedimentum, quod nuptiis celebrandis opponitur. Verum haud raro ad S. Sedem perveniunt supplices literae pro impetranda

aliquo hujusmodi dispensatione, quae nulla canonica ratione fulciuntur. Accidit etiam quandoque, ut in hujusmodi supplicationibus ea omittantur, quae necessario exprimi debent, ne dispensatio nullitatis vitio laboret. Idcirco opportunum visum est in praesenti Instructione paucis perstringere praecipuas illas causas, quae ad matrimoniales dispensationes obtinendas iuxta canonicas sanctiones et prudens ecclesiasticae provisionis arbitrium, pro sufficientibus haberi consueverunt; deinde ea indicare, quae in ipsa dispensatione petenda exprimere opportet.

Atque ut a causis dispensationum exordium ducatur, operae pretium erit imprimis animadvertere, unam aliquando causam seorsim acceptam insufficientem esse, sed alteri adiunctam sufficientem existimari; nam quae non prosunt singula, multa juvant, arg. l. 5. C. de probat. Hujusmodi autem causae sunt quae sequuntur:

1. Angustia loci sive absoluta sive relativa (ratione tantum Oratricis), cum scilicet in loco originis, vel etiam domicilii cognatio foeminae ita sit propagata, ut alium paris conditionis, cui nubat, invenire nequeat, nisit consanguineum vel affinem, patriam vero deserere sit ei durum.

2. Aetas foeminae superadulta, si scilicet 24um aetatis annum iam egressa hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. Haec vero causa haud suffragatur viduae, quae ad alias nuptias convolare cupiat.

3. Deficientia aut incompetentia dotis, si nempe foemina non habeat actu tantam dotem, ut extraneo aequalis conditionis, qui neque consanguineus neque

affinis sit, nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. Quae causa magis urget, si mulier penitus indotata existat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit.

4. Lites super successione bonorum jam exortae, vel earundem grave aut imminens periculum. Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti substineat, neque adest alius, qui litem hujusmodi in se suscipiat, propriisque expensis prosequatur, praeter illum qui ipsam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet; interest enim Reipublicae, ut lites extinguantur. Hinc proxime accedit alia causa, scilicet Dos litibus involuta, cum nimirum mulier alio est destituta viro, cujus ope bona sua recuperare valeat. Verum hujusmodi causa nonnisi pro remotioribus gradibus sufficit.

5. Paupertas viduae quae numerosa prole sit onerata, et vir eam alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduae ea tantum de causa, quod iunior sit, atque in periculo incontinentiae versetur.

6. Bonum pacis, quo nomine veniunt nedum foedera inter regna et principes, sed etiam extinctio gravium inimicitiarum, rixarum, et odiorum civilium. Haec causa adducitur vel ad extinguendas graves inimicitias, quae inter contrahentium consanguineos vel affines ortae sint, quaeque matrimonii celebratione omnino componerentur, vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiae graves viguerint, et, licet pax inter ipsos inita iam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem maxime conduceret.

7. Nimia, suspecta, periculosa familiaritas, nec non cohabitatio sub eodem tecto, quae facile impedir' non possit.

8. Copula cum consanguinea vel affine vel alia persona impedimento laborante praehabita, et praegnantia, ideoque legitimatio prolis, ut nempe consulatur bono prolis ipsius, et honori mulieris, quae secus innupta maneret. Haec profecto una est ex urgentioribus causis, ob quam etiam plebeis dari solet dispensatio dummodo copula patrata non fuerit sub spe facilioris dispensationis: quae circumstantia in supplicatione foret exprimenda.

9. Infamia mulieris, ex suspicione orta, quod illa suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa, cum nempe nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata, vel innupta remaneret, vel disparis conditionis viro nubere deberet aut gravia damna orirentur.

10. Revalidatio matrimonii, quod bona fide et publice, servata Tridentini forma, contractum est: quia ejus dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo, et gravi damno, praesertim foeminae, c. 7 de consanguin. At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Conc. Trid. Sess. XXIV. cap. V de Reform. matrim.

11. Periculum matrimonii mixti, vel coram acatholico ministro celebrandi. Quando periculum adest, quod volentes matrimonium in aliquo etiam ex majoribus gradibus contrahere, ex denegatione dispensationis ad Ministrum acatholicum accedant pro

nuptiis celebrandis spreta ecclesiae auctoritate, iusta invenitur dispensandi causa quia adest non modo gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor perversionis, et defectionis a fide taliter agentium, et matrimonii impedimenta contemnentium, maxime in regionibus ubi haereses impune grassantur. Id docuit haec S. Congregatio in instructione die 17 Apr. 1820 ad Archiepiscopum Quebecensem data. Pariter cum Vicarius Apostolicus Bosniae postulasset, utrum dispensationem elargiri posset iis Catholicis, qui nullum aliud praetexunt motivum, quam vesanum amorem, et simul praevidetur, dispensatione denegata, eos coram iudice infideli coniugium fore inituros, S. Congregatio S. Officii in Fer. IV 14 Aug. 1822 decrevit: ,,respondendum Oratori, quod in exposito casu utatur facultatibus sibi in Form. II commissis, prout in Domino expedire iudicaverit.'' Tantumdem dicendum de periculo, quod pars catholica cum acatholico Matrimonium celebrare audeat.

12. Periculum incestuosi concubinatus. Ex superius memorata instructione an. 1822 elucet, dispensationis remedium, ne quis in concubinatu insordescat cum publico scandalo, atque evidenti aeternae salutis discrimine, adhibendum esse.

13. Periculum matrimonii civilis. Ex dictis consequitur, probabile periculum quod illi, qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matrimonium dumtaxat civile, ut aiunt, celebraturi sint, esse legitimam dispensandi causam.

14. Remotio gravium scandalorum.

15. Cessatio publici concubinatus.

16. Excellentia meritorum, cum aliquis aut contra fidei catholicae hostes dimicatione aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute, aliove modo de Religione sit optime meritus.

Hae sunt communiores, potioresque causae, quae ad matrimoniales dispensationes impetrandas adduci solent; de quibus copiose agunt theologi, ac sacrorum canonum interpretes.*)

Sed iam se convertit Instructio ad ea quae praeter causas in literis supplicibus pro dispensatione obtinenda, de iure vel consuetudine, aut stylo Curiae exprimenda sunt, ita ut si etiam ignoranter taceatur veritas, aut narretur falsitas, dispensatio nulla efficiatur. Haec autem sunt:

1. Nomen et cognomen Oratorum, utrumque distincte, ac nitide, ac sine ulla literarum abbreviatione scribendum.

2. Dioecesis originis vel actualis domicilii. Quando Oratores habent domicilium extra dioecesim originis, possunt, si velint, petere, ut dispensatio mittatur ad Ordinarium dioecesis, in qua nunc habitant.

3. Species etiam infima impedimenti, an sit consanguinitas, vel affinitas, orta ex copula licita vel illicita, publica honestas originem ducens ex sponsalibus, vel matrimonio rato; in impedimento criminis, utrum provenerit ex coniugicidio cum promissione matri-

*) Inter ceteros consulendi Pyrrhus Corradus — Praxis dispensationum Apostolicarum—Lib. VII et VIII; ac Vincentius De Justis — De dispensationibus matrimonialibus — Lib. III.

monii, aut ex conjugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione matrimonii; in cognatione spirituali, utrum sit inter levantem et levatum, vel inter levantem et levati parentem.

4. Gradus Consanguinitatis, vel affinitatis, aut honestatis ex matrimonio rato, et an sit simplex, vel mixtus, non tantum remotior sed etiam propinquior, uti et linea, an sit recta et transversa; item an Oratores sint cunjuncti ex duplici vinculo consanguinitatis, tam ex parte patris, quam ex parte matris.

5. Numerus impedimentorum e. gr. sit adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas, vel si praeter cognationem adsit etiam affinitas, aut aliud quodcumque impedimentum sive dirimens, sive impediens.

6. Variae circumstantiae, scilicet an matrimonium sit contrahendum, vel contractum; si iam contractum, aperiri debet, an bona fide, saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti; idem an praemissis denuntiationibus, et juxta formam Tridentini; vel an spe facilius dispensationem obtinendi; demum an sit consummatum, si mala fide, saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti.

(*Quae nunc sequuntur de copula incestuosa, partim recentissime a S. Sede abrogata sunt, ut patet ex sequenti Responso S. O.*)

Haec prae oculis habere debent non modo qui ad S. Sedem pro obtinenda aliqua matrimoniali dispensatione recurrunt, sed etiam qui ex pontificia delegatione dispensare per se ipsi valent, ut facultatibus, quibus possent, rite, ut par est, utantur.

Datum ex Aedibus S. C. de Prop. Fide die 9 Maii, 1877.

III. Responsum Sancti Officii de Copula Incestuosa.

Infandum incestus flagitium peculiari semper odio sancta Dei Ecclesia prosecuta est, et Summi Romani Pontifices statuerunt ut qui eo se maculare non erubuissent, si ad Apostolicam Sedem confugerent petendae causa dispensationis super impedimentis matrimonium dirimentibus, eorum preces, nisi in eis de admisso scelere mentio facta esset, obreptionis et subreptionis vitio infectae haberentur, atque ideo dispensatio esset invalida: idque ea sanctissima de causa cautum fuit, ut ab hoc gravissimo crimine Christifideles arcerentur.

Hanc S. Sedis mentem testantur tum alia documenta, tum decretum quod novissime supremum Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis Concilium, Ipso adprobante Romano Pontifice, feria iv. die 1 Augusti 1866 tulit, quod est hujusmodi: „subreptitias esse et nullibi ac nullo modo valere dispensationes quae sive directe ab Apostolica Sede sive ex pontificia delegatione super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis necnon et publicae honestatis conceduntur, si sponsi ante earundem dispensationum executionem, sive ante sive post earum impetrationem incestus reatum patraverint: et vel interrogati vel etiam non interrogati, malitiose vel etiam ignoranter reticuerint copulam incestuosam inter eos initam, sive publice ea nota sit sive etiam occulta, vel reticuerint consilium et intentionem qua eandem copulam inierunt, ut dispensationem facilius assequerentur." S. Poenitentiaria vestigiis insistens Supremae Inquisitionis id ipsum die 20 Julii 1869 statuit.

Verum cum plurimi sacrorum Antistites, sive seorsum singuli sive conjunctim, S. Sedi retulerint, maxima ea de causa oriri incommoda cum ad matrimonialium dispensationum executionem proceditur, et hisce praesertim miseris temporibus in fidelium perniciem non raro vergere quod in eorum salutem sapienter inductum fuerat, Sanctissimus D. N. Leo, divina providentia Papa XIII., eorum postulationibus permotus, re diu et mature perpensa, et suffragio adhaerens Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium in universa Christiana Republica una mecum Inquisitorum Generalium, hasce literas omnibus locorum Ordinariis dandas jussit, quibus eis notum fieret, decretum superius relatum S. Romanae et Universalis Inquisitionis et S. Poenitentiariae, et quidquid in eundem sensum alias declaratum, statutum aut stylo Curiae inductum, fuerit, a se revocari, abrogari, nulliusque roboris in posterum fore decerni; simulque statui et declarari, dispensationes matrimoniales posthac concedendas, etiamsi copula incestuosa vel consilium et intentio per eam facilius dispensationem impetrandi reticita fuerint, validas futuras: contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis minime obstantibus.

Dum tamen ob gravissima rationum momenta a pristino rigore hac super re sanctissimus Pater benigne recedendum ducit, mens ipsius est, ut nihil de horrore quem incestus crimen ingerere debet, ex fidelium mentibus detrahatur; imo vero summo studio excitandos vult animarum curatores aliosque quibus fovendae inter Christifideles morum honestatis cura demandata est, ut prudenter quidem, prout rei natura postulat, efficaciter tamen elaborent huic facinori insectando

et fidelibus ab eodem, propositis poenis quibus obnoxii fiunt, deterrendis.

Datum Romae ex cancellaria S. O. die 25 Jun. 1885.

D. Card. Monaco.

IV. De Missa pro Sponso et Sponsa.

Feria IV die 31 Augusti 1881.

In congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis habita coram Emis et Rmis DD. S. R. E. Cardinalibus in rebus fidei inquisitoribus, praehabito voto D. D. consultorum iidem Emi et Rmi decreverunt:

Benedictionem nuptialem quam exhibet Missale Romanum in *Missa pro Sponso et Sponsa* semper impertiendam esse in matrimonio catholicorum, intra tamen Missae celebrationem, juxta rubricas et extra tempus feriatum, omnibus illis conjugibus, qui eam in contrahendo matrimonio quacumque ex causa non obtinuerint, etiam si petant, postquam diu jam in matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit.

Insuper hortandos esse eosdem conjuges catholicos qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerint, ut eam primo quoque tempore petant. Significandum vero illis, maxime si neophyti sint, vel ante conversionem valide contraxerint, benedictionem ipsam ad ritum et solemnitatem non vero ad substantiam et validitatem pertinere conjugii.

Contrariis quibuscunque non obstantibus.

✠ Fr. V. Leo Sallua, *Arch. Chalc. S. R. et U. Inq. Com. Gen.*
Iuvenalis Palami, *S. R. et U. Inq. Not.*

C.

De Poenitentia.

I. De absolutione Equitum Pythiae, etc,

Eminentissime ac Reverendissime Domine.

Romae, 18 Jan. 1896.

Postquam societates occultae, quae istis in regionibus coaluerunt diversis nominibus *Equitum Pythiae*, *Sociorum Singularium*, *Filiorum Temperantiae*, definitive Sanctae Sedis decreto universis istorum regionum Ordinariis, ut probe novit Eminentia Tua, significato, utpote intrinseca pravitate laborantes, reprobatae ac vetitae fuerunt, nulli catholicorum veri nominis dubium superesse potest eas esse graviter illicitas. Ex quo recte consequitur illos omnes et singulos, qui se catholicos profitentur, teneri, nisi gravissimum animae suae damnum subire velint, easdem societates, quibus quomodocumque sese adscripserunt, deserere, et ab illis et ab earum unaquaque sese plene ac perfecte separare, quavis participatione exclusa; illos vero, qui id praestare recusent, recipiendorum sacramentorum esse et habendos esse indignos, tanquam in peccato obfirmatos.

Quae cum probata sint omnibus et esse debeant, ex parte plurium Episcoporum singulares casus huic Sanctae Sedi propositi sunt, ut decernatur, an aliquid hac in re permitti possit, causa damni materialis vitandi. Cum enim statuta illarum societatum singulis sociis indulgeant, ut, erogata modica pecuniae summa ad instar taxae statis temporibus solvendae,

jus adquirant socii ad longe majora subsidia, sive pro se in casibus infirmitatis aut necessitatis, sive pro familia mortis casu, si societati nuncio misso et quavis participatione remota, cessent quoque a praescripta taxa solvenda, illud unum consequetur, non societati sed sibi ipsis nocivum, ut et amittant omne id quod vel pluribus abhinc annis solvisse constabit, et omni spe excidant subsidia ea ratione pacta sibi vel familiae percipiendi. Etiam quandoque contingit, ut quis, obligatione in forma juris valida, societati sic damnatae teneatur de aere alieno statis pensionibus solvendo, quin totum in praesens restituere possit. Ad haec igitur incommoda vitanda quaesitum fuit an, remota quavis alia earumdem sectarum participatione, hoc saltem liceat, nomen proprium in sociorum catalogis retinere, necnon in praefatae taxae vel aeris alieni solutione stato tempore perseverare.

Quod dubium sane gravissimum, cum Sanctissimus Dominus Noster Sacrae huic Supremae Congregationi commiserit enucleandum, eadem Sacra Congregatio, re muture perpensa, respondendum censuit:

,,Generatim loquendo, non licere; et ad mentem. Mens est, quod ea res tolerari possit sequentibus conditionibus et adjunctis, simul in casu concurrentibus, scilicet: 1° Si bona fide sectae primitus nomen dederit, antequam sibi innotuisset societatem fuisse damnatam. — 2° Si absit scandalum vel opportuna removeatur declaratione, id a se fieri, ne jus ad emolumenta vel beneficium temporis in aere alieno solvendo amittat, a quavis interim sectae communione et a quocumque interventu, etiam materiali, ut praemittitur, abstinendo. — 3° Si grave damnum sibi aut familiae ex renunciatione obveniat. — 4° Tandem, ut non

adsit vel homini illi vel familiae ejus periculum ullum perversionis ex parte sectariorum, spectato praecipue casu vel infirmitatis vel mortis; neve similiter adsit periculum funeris peragendi a ritibus catholicis alieni."

Quae cum Sanctissimo Domino et Papae Leoni XIII relata fuerint, in totum approbata et confirmata fuerunt. Verum, cum de re gravissima atque periculorum et difficultatum plena agatur, quae plurimas non modo dioeceses, sed et provincias ecclesiasticas respicit, idem Sanctissimus Dominus jussit ut, uniformis regulae servandae causa, impletis omnibus quae hoc decreto statuuntur, casibus particularibus Eminentia Tua et in Apostolica Delegatione successores providere possint.

Quae cuncta et singula pro munere meo cum significaverim, universa Tibi fausta ac laeta a D. O. M. adprecor.

Eminentiae Tuae

Addictissimus, obseqmus fam. verus,

L. M. Card. Parocchi.

II. De procuratione abortus.

Beatissime Pater!

Stephanus Maria Alphonsus Sonnois, archiepiscopus Cameracensis, ad pedes Sanctitatis Tuae devotissime provolutus, quae sequuntur humiliter exponit.

Titius medicus cum ad praegnantem graviter decumbentem vocabatur, passim animadvertebat lethalis morbi causam aliam non subesse praeter

ipsam praegnationem hoc est, foetus in utero praesentiam. Una igitur, ut matrem a certa atque imminenti morte salvaret, praesto ipsi erat via, procurandi scilicet abortum seu foetus ejectionem. Viam hanc consueto ipse inibat, adhibitis tamen mediis et operationibus, per se atque immediate non quidem ad id tendentibus, ut in materno sinu foetum occiderent, sed solummodo ut vivus, si fieri posset, ad lucem ederetur: quamvis proxime moriturus, utpote qui immaturus omnino adhuc esset.

Jamvero lectis quae die 19 Augusti 1889 Sancta Sedes ad Cameracensem Archiepiscopum rescripsit: ,,tuto doceri non posse licitam esse quamcumque operationem directe occisivam foetus, etiamsi hoc necessarium foret ad matrem salvandam,'' dubius haeret Titius circa liceitatem operationum chirurgicarum, quibus non raro ipse abortum hucusque procurabat, ut praegnantes graviter aegrotantes salvaret.

Quare, ut conscientiae suae consulat, supplex Titius petit, utrum enuntiatas operationes in repetitis dictis circumstantiis instaurare tuto possit.

Feria IV die 24 Julii 1895.

In Congr. gener. S. R. et Univ. Inquisitionis, proposita suprascripta instantia, Em. ac Rever. Domini Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores generales, praehabito Rev. D. Consultorum voto, respondendum decreverunt: Negative, juxta alia Decreta, diei scilicet 28 Maji 1884 et 19 Augusti 1888.

Sequenti vero feria V die 25 Julii, in audientia R. G. P. Adsessori impertita, SSmus D. N. relatam Sibi Em. Patrum resolutionem adprobavit.

(L.✠S.) J. Mancini, Can. Magnoni,
S. R. et Univ. Inquisitionis Not.

III. De absolutione complicis.

Sacra Poenitentiaria, approbante SS. Dno. N. Leone PP. XIII declarat, excommunicationem reservatam in Bulla „Sacramentum Poenitentiae" non effugere confessarios absolventes vel fingentes absolvere eum complicem, qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id confessarius poenitentem induxit, sive directe sive indirecte. (Die 19 Febr. 1896.)

D.

De Sepultura.

Circa Corporum Crematione m.

Beatissime Pater:

Archiepiscopus Friburgensis, ad pedes S. V. provolutus, humillime petit sequentium dubiorum resolutionem:

I. Utrum liceat sacramenta morientium ministrare fidelibus qui massonicae quidem sectae non adhaerent, nec ejus ducti principiis, sed aliis rationibus moti corpora sua post mortem cremanda mandarunt, si hoc mandatum retractare nolint?

II. Utrum liceat pro fidelibus, quorum corpora non sine ipsorum culpa cremata sunt missae, sacrificium publice offerre vel etiam privatim applicare, itemque fundationes ad hunc finem acceptare?

III. Utrum liceat cadaverum cremationi cooperari, sive mandato ac consilio, sive praestita opera,

ut medicis, officialibus, operariis in crematorio inservientibus ? et utrum hoc liceat saltem, si fiat in quadam necessitate aut ad evitandum magnum damnum?

IV. Utrum liceat taliter cooperantibus ministrare sacramenta, si ab hac cooperatione desistere nolunt, aut desistere non posse affirmant?

Feria IV die 27 Julii 1892.

In congregatione generali S. Rom. et Univ. Inquisitionis, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque Rmorum DD. Consultorum voto, Emi. ac Rmi. Dni. Cardinales in rebus fidei et morum Generales Inquisitores respondendum mandarunt:

Ad I. *Si moniti renuant, Negative. Ut vero fiat aut omittatur monitio, serventur regulae a probatis auctoribus traditae, habita praesertim ratione scandali vitandi.*

Ad II. *Circa publicam S. Missae applicationem, Negative; circa privatam, Affirmative.*

Ad III. *Nunquam licere formaliter cooperari mandato vel consilio. Tolerari autem aliquando posse materialem cooperationem, dummodo: 1° crematio non habeatur pro signo protestativo massonicae sectae; 2° non aliquid in ipsa contineatur quod per se directe atque unice exprimat reprobationem catholicae doctrinae et approbationem sectae; 3° neque constet officiales et operarios catholicos ad opus adstringi vel vocari in contemptum catholicae religionis. Caeterum quamvis in hisce casibus reliquendi sunt in bona fide, semper tamen monendi sunt ne cremationi cooperari intendant.*

Ad IV. *Provisum in praecendenti. Et detur decretum feriae IV 15 Decembris 1886.* Quod quidem decretum ita se habet:

Quoties agitur de iis, quorum corpora non propria ipsorum, sed aliena voluntate cremationi subjiciantur, Ecclesiae ritus et suffragia adhiberi posse, tum domi, tum in ecclesia, non autem usque ad cremationis locum, remoto scandalo. Scandalum vero removeri etiam poterit, si notum fiat cremationem non propria defuncti voluntate electam fuisse. At ubi agatur de iis qui propria voluntate cremationem elegerunt, et in hac voluntate certo ac notorie usque ad mortem perseverarunt, attento decreto feria IV 19 Maii 1886, agendum cum iis juxta normas Ritualis Romani, *Tit. Quibus non licet dare ecclesiasticam sepulturam.* In casibus autem particularibus, in quibus dubium vel difficultas oriatur, consulendus erit Ordinarius qui, accurate perpensis omnibus adjunctis, id decernet quod magis in Domino expedire judicaverit.

Sequente vero feria ac die, SSmus D. N. D. Leo Div. Prop. Papa XIII relatam sibi Emorum ac Rmorum Patrum resolutionem benigne adprobare et confirmare dignatus est.

J. Mancini, *S. R. et U. I. Notarius.*

E.

De Confraternitatibus.

I. Confraternitates ejusdem tituli in ecclesiis diversarum linguarum. Dispensatur a lege distantiae.

Pro locis, ubi plures diversarum linguarum parochiae existunt, ea lege, ut fideles unius linguae ad

certam ecclesiam ejusdem linguae tanquam parochialem pertineant, Summus Pontifex a regula distantiae dispensare dignatus est, ita tamen, ut unaquaeque Confraternitas possit ascribere eos tantum, qui ad determinatam nationem pertinent, pro qua eadem Confraternitas erecta foret vel erigenda — sub poena nullitatis indulgentiarum. (Decr. S. C. de P. F. 21 Oct. 1883.)

II. Derogatio legis distantiae quoad Confraternitates in magnis civitatibus.

An in magnis civitatibus, quae unam tantum constituunt communitatem, plures nihilominus erigi possint ejusdem nominis instituti Confraternitates?

Negative, sed supplicandum SSmo ut derogando in hac parte Constitutioni s. m. Clementis VIII quae incipit „Quaecumque," Ordinariis benigne tribuere dignetur facultatem providendi pro eorum arbitrio et prudentia in singulis casibus, servata tamen in hujusmodi erectionibus convenienti, eorum judicio, distantia.

Factaque de iis omnibus SSmo Domino Leoni PP. XIII relatione in audientia habita die 20 Maii 1896 ab infrascripto Cardinali S. Congregationis Praefecto, Sanctitas Sua resolutiones Emorum Patrum ratas habuit et confirmavit, simulque, derogando Constitutioni Clementis VIII, facultatem in (IV) dubio postulatam benigne Ordinariis concedere dignatus est.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 20 Maii 1896.

L.✠S. Andreas Card. Steinhuber, *Praef.*

Alexander Archiep. Nicopolitanus, *Secret.*

F.

De erectione Stationum Viae Crucis.

Fr. Raphael ab Aureliaco Procurator Generalis Ordinis Minorum, h. S. Congregationi sequentia humiliter exposuit:

Pro legitima Stationum Viae Crucis erectione, Sancta Sedes plura sapienter constituit observanda sub poena nullitatis. Nam statuit „quod in erigendis hujusmodi Stationibus, tam Sacerdotis erigentis deputatio ac Superioris localis consensus, quam respectivi Ordinarii, vel Antistitis, et parochi, necnon Superiorum Ecclesiae, Monasterii, Hospitalis et Loci Pii, ubi ejusmodi erectio fieri contigerit, deputatio, consensus et licentia, in scriptis et non aliter expediri, et quandocumque opus fuerit, exhiberi debeant, sub poena nullitatis ipsiusmet erectionis ipso facto incurrendae."

Modo Orator petit a S. Congr. solutionem dubii sequentis:

Utrum in casu quo, ob Crucium vetustatem vel ob aliam justam causam, renovari debeant Stationes Viae Crucis in eadem Ecclesia, sive Oratorio, in quo rite cum omnibus documentis ut supra a S. Sede praescriptis erectae reperiebantur, praefata omnia et singula documenta denuo sive oretenus sive in scriptis postulanda sint; vel sufficiat tantummodo novarum Stationum benedictio a Sacerdote legitimo ad id deputato?

Romae ad S. Antonium 6 Jan. 1896.

S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita relato dubio respondit die 11 Jan 1896:

Negative quoad 1^m^ partem; quoad 2^m^ sufficere tantummodo novarum erectionum benedictionem.

Datum Romae, e Secretaria ejusdem S. Congr. die et anno ut supra.

ANDREAS Card. STEINHUBER, *Praef.*
A. Archiep. NICOP. *Secret.*

NB. Die 7 Aprilis 1894 Sanctissimus sanavit omnes Stationes Viae Crucis ob defectum formalium invalide erectas, sed defectibus in essentialibus remedendum erit (v. gr. si cruces non sint ex ligno.)

G.

De Vesperis.

Vesperae ad libitum in ecclesiis mere parochialibus.

Lucionen. Quaeritur utrum in Ecclesiis mere parochialibus, ubi non adest obligatio chori, Vesperae quae ad devotionem populi diebus Dominicis et Festivis cantantur, conformes esse debeant Officio diei ut in Breviario, vel desumi possint ex alio quolibet Officio, puta de SS. Sacramento vel de B. M. V. ?

Resp. Licitum esse in casu Vesperas de alio officio cantare, dummodo ii, qui ad horas canonicas tenentur, privatim recitent illas de officio occurrente. (S. R. C. 22 Dec. 1884 ad dub. XIV.)

H.

De quibusdam devotionibus a Summo Pontifice ordinatis.

I. De mense Martio et festo Sti Joseph.

(Ex Encycl. Quamquam pluries, 15 Aug. 1889.)

Illud quidem salutare maximeque laudabile, quod

est jam alicubi institutum, mensem Martium honori sancti Patriarchae quotidiana pietatis exercitatione celebrare .

Ubi id institui non facile queat, optandum saltem, ut ante diem ejus festum in templo cujusque oppidi principe supplicatio in triduum fiat.

Quibus autem in locis dies decimus nonus Martii, beato Josepho sacer, numero festorum de praecepto non comprehenditur, hortamur singulos, ut eum diem privata pietate sancte, quoad fieri potest, in honorem Patroni coelestis, perinde ac de praecepto, agere ne recusent.

II. De novendialibus ante festum Pentecostes.

(Ex Encyclica Leonis PP. XIII: „Divinum illud munus" d. d. 9 Maji 1897.)

Decernimus et mandamus, ut per orbem catholicum universum, hoc anno itemque annis in perpetuum consequentibus, supplicatio novendialis ante Pentecosten in omnibus curialibus templis, et si Ordinarii locorum utile judicarint, in aliis etiam templis sacrariisve fiat. Omnibus autem, qui eidem novendiali supplicationi interfuerint, et ad mentem Nostram, rite oraverint, eis annorum septem septemque quadragenarum apud Deum indulgentiam in singulos dies concedimus; tum plenariam in uno quolibet eorundem dierum vel festo ipso die Pentecostes, vel etiam quolibet ex octo subsequentibus, modo rite confessione abluti sacraque communione refecti ad eamdem mentem Nostram pie supplicaverint. Quibus beneficiis frui pariter eos posse volumus quos publicis illis precibus legitima causa prohibeat, vel ubi non ita commode, secundum Ordinarii pruden-

tiam, in templo res fieri possit; dum tamen supplicationi novendiali detur opera ceteraeque conditiones expleantur. Hoc praeterea placet de thesauro Ecclesiae in perpetuum tribuere, ut si qui vel publice vel privatim preces aliquas ad Spiritum Sanctum pro pietate sua iterum praestent quotidie per octavam Pentecostes ad festum inclusive sanctae Trinitatis, ceterisque ut supra conditionibus rite satisfecerint, ipsis liceat utramque iterum consequi indulgentiam. Quae omnia indulgentiae munera etiam animabus piis igni purgatorio addictis converti in suffragium posse, misericorditer in Domino concedimus.

III. Ex Decreto Urbis et Orbis de Rosario quotidie per mensem Octobrem recitando.

Sanctitas Sua quaecumque duobus praeteritis annis constituit de mense quo solemnia celebrantur beatae Virginis Mariae a Rosario, hoc pariter anno, et annis porro sequentibus praecipit et statuit, quoadusque rerum Ecclesiae rerumque publicarum tristissima haec perdurent adjuncta, ac de restituta Pontifici Maximo plena libertate Deo referre gratias Ecclesiae datum non sit.

Decernit itaque et mandat, ut quolibet anno a prima die Octobris ad secundam sequentis Novembris, in omnibus catholici orbis parochialibus templis, et in cunctis publicis oratoriis Deiparae dicatis, aut in aliis etiam arbitrio Ordinarii eligendis, quinque saltem Mariani Rosarii decades cum Litaniis Lauretanis quotidie recitentur: quod si mane fiat, missa inter preces celebretur, si a meridie, sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum adorationi praeponatur, deinde fideles rite lustrentur.

Optat quoque ut a Sodalitatibus sacratissimi Rosarii religiosae pompae, ubi id per civiles leges licet, publice ducantur.

Indulgentias singulas, alias concessas, renovando, omnibus qui statis diebus publicae Rosarii recitationi interfuerint, et ad mentem ejusdem Sanctitatis Suae oraverint, et his pariter qui legitima causa impediti privatim haec egerint, septem annorum ac septem quadragenarum apud Deum Indulgentiam singulis vicibus concedit. Eis autem qui supradicto tempore decies saltem vel publice in templis, vel legitime impediti, privatim eadem peregerint, sacramentali confessione expiatis et sacra synaxi refectis, plenariam admissorum Indulgentiam de Ecclesiae thesauro impertit. Plenissimam hanc culparum veniam et poenarum remissionem his omnibus pariter largitur, qui vel ipso die festo beatae Virginis a Rosario, vel quolibet ex octo insequentibus diebus, sacramenta, ut supra, perceperint, et in aliqua sacra aede juxta suam mentem Deo ejusque Sanctissimae Matri supplicaverint.

Qua de re et illis consulens fidelibus qui ruri viventes agri cultioni praecipue Octobri mense distinentur, Sanctitas Sua concedit ut singula superius disposita, cum sacris etiam Indulgentiis, eorum in locis, ad insequentes vel Novembris vel Decembris menses, prudenti Ordinariorum arbitrio, differri valeant.

De hisce vero omnibus et singulis Sanctissimus Dominus Noster per Sacram Rituum Congregationem praesens edi decretum, et ad omnes locorum Ordinarios pro fideli executione transmitti mandavit.

Die 20 Augusti 1885.

(L.✠S.) D. Card. Bartolinius, *S. R. C., Praefectus.*
Laurentius Salvati, *S. R. C., Secretarius.*

De oratione in honorem S. Joseph addenda.

Ex Encycl. Quamquam pluries, 15 Aug. 1889.

Decernimus, ut Octobri toto in recitatione Rosarii oratio ad Sanctum Joseph adjungatur cujus formula ad vos una cum his literis perferetur idque singulis annis perpetuo idem servetur.

Oratio ad S. Joseph.

Ad te, beate Joseph, in tribulatione nostra confugimus, atque implorato Sponsae tuae sanctissimae auxilio, patrocinium quoque tuum fidenter exposcimus. Per eam quaesumus, quae te cum immaculata Virgine Dei Genitrice conjunxit, caritatem, perque paternum, quo Puerum Jesu amplexus es, amorem, supplices deprecamur, ut ad haereditatem, quam Jesus Christus acquisivit sanguine suo, benignus respicias, ac necessitatibus nostris tua virtute et ope succurras.

Tuere, o Custos providentissime divinae Familiae, Jesu Christi sobolem electam; prohibe a nobis, amantissime Pater, omnem errorum ac corruptelarum luem; propitius nobis, sospitator noster fortissime, in hoc cum potestate tenebrarum certamine a coelo adesto; et sicut olim Puerum Jesum e summo eripuisti vitae discrimine, ita nunc Ecclesiam sanctam Dei ab hostibus insidiis atque ab omni adversitate defende, nosque singulos perpetuo tege patrocinio, ut ad tui exemplar et ope tua suffulti, sancte vivere, pie emori, sempiternamque in coelis beatitudinem assequi possimus. Amen.

Qui autem orationem supradictam pie recitaverit indulgentiam singulis septem annorum totidemque quadragenarum in singulas vices tribuimus.

I.

Decreta Generalia de Prohibitione et Censura Librorum.

Titulus I.

De Prohibitione Librorum.

CAPUT I.

De prohibitis apostatarum, haereticorum, schismaticorum, aliorumque scriptorum libris.

1. Libri omnes, quos ante annum MDC aut Summi Pontifices, aut Concilia oecumenica damnarunt, et qui in novo Indice non recensentur, eodem modo damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt: iis exceptis, qui per haec Decreta Generalia permittuntur.

2. Libri apostatarum, haereticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum haeresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes, omnino prohibentur.

3. Item prohibentur acatholicorum libri, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri.

4. Libri eorundem auctorum, qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, iure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint.

CAPUT II.

De Editionibus textus originalis et versionum non vulgarium Sacrae Scripturae.

5. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant, iis duntaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur.

6. Eadem ratione, et sub iisdem conditionibus, permittuntur aliae versiones Sacrorum Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae.

CAPUT. III.

De Versionibus vernaculis Sacrae Scripturae.

7. Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri; Versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

8. Interdicuntur versiones omnes Sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim, quae per Societates Biblicas, a Romanis Pontificibus non

semel damnatas, divulgantur, cum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur.

Hae nihilominus versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur: iis servatis, quae supra (n. 5) statuta sunt.

CAPUT IV.

De Libris obscenis.

9. Libri, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum fidei, sed et morum, qui huiusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur.

10. Libri auctorum sive antiquorum, sive recentiorum, quos classicos vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur, quos officii aut magisterii ratio excusat: nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut praelegendi erunt.

CAPUT V.

De quibusdam specialis argumenti libris.

11. Damnantur libri, in quibus Deo, aut Beatae Virgini Mariae, vel Sanctis, aut Catholicae Ecclesiae eiusque Cultui, vel Sacramentis, aut Apostolicae Sedi detrahitur. Eidem reprobationis iudicio subiacent ea opera, in quibus inspirationis Sacrae Scripturae conceptus pervertitur, aut eius extensio nimis coaretatur. Prohibentur quoque libri, qui data opera Ecclesiasticam Hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt.

12. Nefas esto libros edere, legere aut retinere in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliaeque huius generis superstitiones docentur, vel commendantur.

13. Libri aut scripta, quae narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quae novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiae licentia, proscribuntur.

14. Prohibentur pariter libri, qui duellum, suicidium, vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis, vel aliis eiusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur.

CAPUT VI.

De Sacris Imaginibus et Indulgentiis.

15. Imagines quomodocumque impressae Domini Nostri Iesu Christi, Beatae Mariae Virginis, Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novae vero, sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine Ecclesiasticae potestatis licentia non publicentur.

16. Universis interdicitur indulgentias apocryphas, et a Sancta Sede Apostolica proscriptas vel revocatas quomodocumque divulgare. Quae divulgatae iam fuerint, de manibus fidelium auferantur.

17. Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones con-

tinentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia.

CAPUT VII.

De libris liturgicis et precatoriis.

18. In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis Romani, aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare praesumat: si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibentur.

19. Litaniae omnes, praeter antiquissimas et communes, quae in Brevariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, et praeter Litanias de Beata Virgine, quae in sacra Aede Lauretana decantari solent, et litanias Sanctissimi Nominis Iesu iam a Sancta Sede approbatas, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii.

20. Libros, aut libellos precum, devotionis, vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae, aliosque huismodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo praeter legitimae auctoritatis licentiam publicet: secus prohibiti habeantur.

CAPUT VIII.

De Diariis, foliis et libellis periodicis.

21. Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico iure proscripti habeantur.

Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de huiusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere.

22. Nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, in huiusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam, nisi suadente iusta et rationabili causa, publicet.

CAPUT IX.

De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.

23. Libros sive specialibus, sive hisce Generalibus Decretis proscriptos, ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apostolica, aut ab illis, quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates.

24. Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quoscumque prohibitos Romani Pontifices Sacram Indicis Congregationem praeposuere. Eadem nihilominus potestate gaudent, tum Suprema Sancti Officii Congregatio, tum Sacra Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini subiectis. Pro Urbe tantum, haec facultas competit etiam Sacri Palatii Apostolici Magistro.

25. Episcopi aliique Praelati iurisdictione quasi episcopali pollentes, pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus licentiam concedere valeant. Quod si iidem generalem a Sede Apostolica impetraverint facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu et ex iusta et rationabili causa concedant.

26. Omnes qui facultatem apostolicam concecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet, aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos. Meminerint insuper qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt, gravi se praecepto teneri huiusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant.

CAPUT X.

De denunciatione pravorum librorum.

27. Quamvis catholicorum omnium sit, maxime eorum, qui doctrina praevalent, perniciosos libros Episcopis, aut Apostolicae Sedi denunciare; id tamen speciali titulo pertinet ad Nuntios, Delegatos Apostolicos, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum doctrinae laude florentium.

28. Expedit ut in pravorum librorum denunciatione non solum libri titulus indicetur, sed etiam, quoad fieri potest, causae exponantur ob quas libercensura dignus existimatur. Iis autem ad quos denunciatio defertur, sanctum erit, denunciantium nomina secreta servare.

29. Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros, aliaque scripta noxia in sua Dioecesi edita vel diffusa proscribere, et e manibus fidelium auferre studeant. Ad Apostolicum iudicium ea deferant opera vel scripta, quae subtilius examen exigunt, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum, supremae auctoritatis sententia requiri videatur.

Titulus II.

De Censura Librorum.

CAPUT I.

De Praelatis librorum censurae praepositis.

30. Penes quos potestas sit sacrorum bibliorum editiones et versiones adprobare vel permittere ex iis liquet, quae supra (n.° 7) statuta sunt.

31. Libros ab Apostolica Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere: quod si ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id nunquam fiet, nisi obtenta prius sacrae Indicis Congregationis licentia, servatisque conditionibus ab ea praescriptis.

32. Quae ad causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis Sacris Ritibus tuendis praepositae publicari nequeunt.

33. Idem dicendum de Collectionibus Decretorum singularum Romanarum Congregationum: hae nimirum Collectiones edi nequeant, nisi obtenta prius licentia, et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscuiusque Congregationis praescriptis.

34. Vicarii et Missionarii Apostolici Decreta sacrae Congregationis Propagandae Fidei praepositae de libris edendis fideliter servent.

35. Approbatio librorum, quorum censura praesentium Decretorum vi Apostolicae Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci in quo publici iuris fiunt.

36. Regulares, praeter Episcopi licentiam, meminerint teneri se, sacri Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a Praelato, cui subiacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur.

37. Si Auctor Romae degens librum non in Urbe, sed alibi imprimere velit, praeter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri Sacri Palatii Apostolici, alia non requiritur.

CAPUT II.

De censorum officio in praevio librorum examine.

38. Curent Episcopi, quorum muneris est facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatae pietatis et doctrinae viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiae daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos et fidelis populi utilitatem.

39. De variis opinionibus atque sententiis (iuxta Benedicti XIV praeceptum) animo a praeiudiciis omnibus vacuo, iudicandum sibi esse censores sciant. Itaque nationis, familiae, scholae, instituti affectum exeutiant, studia partium seponant. Ecclesiae sanctae dogmata, et communem Catholicorum doctrinam, quae Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, atque Doctorum consensu continentur, unice prae oculis habeant.

40. Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videbitur, Ordinarius, in scriptis et omnino gratis, illius publicandi licentiam, in principio vel in fine operis imprimendam, auctori concedat.

CAPUT III.

De libris praeviae censurae subiiciendis.

41. Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae eos saltem subiicere libros, qui divinas Scripturas, Sacram Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Ius Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen, aliasve huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit.

42. Viri e clero seculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque, mere naturalibus tractant inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant.

Iidem prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.

CAPUT IV.

De Typographis et Editoribus librorum.

43. Nullus liber censurae ecclesiasticae subiectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris praeferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu, iustas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit.

44. Noverint Typographi et Editores librorum novas ejusdem operis approbati editiones, novam approbationem exigere, hanc insuper textui originali tributam, eius in aliud idioma versioni non suffragari.

45. Libri ab Apostolica Sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodcumque vertantur idioma.

46. Quicumque librorum venditores, praecipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes neque vendant, neque commodent, neque retineant: ceteros prohibitos venales non habeant, nisi a Sacra Indicis Congregatione veniam per Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant nisi prudenter existimare possint, ab emptore legitime peti.

CAPUT V.

De poenis in Decretorum Generalium transgressores statutis.

47. Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicae, libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Literas nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes, excommunicationem ipso facto incurrunt, Romano Pontifici speciali modo reservatam.

48. Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum libros, vel earundem adnotationes vel commentarios imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.

49. Qui vero cetera transgressi fuerint, quae his Decretis Generalibus praecipiuntur, pro diversa reatus gravitate serio ab Episcopo moneantur; et, si opportunum videbitur, canonicis etiam poenis coerceantur.

Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere, decernimus: irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari declarantes, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides quae Nostrae voluntatis significationi his praesentibus ostensis haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. — Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo sexto, VIII Kal. Februarias, Pontificatus Nostri decimo nono.

A. Card. Macchi

A. Panici Subdatarius

VISA

De Curia I. de Aquila e Vicecomitibus

Loco ✠ *Plumbi*

Reg. in Secret. Brevium.

I. Cugnonius.

III.

FORMULAE.

A.

Modus excipiendi Professionem Fidei Catholicae

a Neo-Conversis, juxta formam a S. Congregatione S. Officii, die 20. Julii 1859, praescriptam.

In conversione haereticorum inquirendum est primo de validitate baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur diligenti examine, si compertum fuerit, aut nullum, aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem, investigatione peracta, adhuc probabile dubium de baptismi validitate supersit, tunc sub conditione iteratur, juxta ordinem baptismi Adultorum. Demum, si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad Abjurationem, seu Professionem Fidei. Triplex igitur in conciliandis haereticis distinguitur procedendi methodus:

I. Si Baptismus absolute conferatur, nulla sequitur abjuratio, nec absolutio, eo quod omnia abluit Sacramentum Regenerationis.

II. Si Baptismus sit sub conditione iterandus, hoc ordine procedendum erit:

1°. Abjuratio, seu fidei professio;

2°. Baptismus conditionalis;

3°. Confessio sacramentalis cum Absolutione conditionata.

III. Quando denique validum judicatum fuerit Baptisma, sola recipitur Abjuratio, seu Fidei professio, quam Absolutio a censuris sequitur. Si tamen nonnunquam ejusmodi Neo-conversus valde desideret ut ritus in ejus baptismo olim omissi hac occasione suppleantur, Sacerdos huic pio ejus voto morem gerere utique liberum habet. Debebit tamen in tali casu adhibere ordinem baptismi Adultorum, et mutare mutanda ob Baptismum jam valide susceptum.

Sacerdos superpelliceo et stola violacei coloris indutus, sedet in cornu Epistolae, si Ss. Sacramentum asservetur in tabernaculo, sin minus in medio Altaris, et coram illo genuflectit Neo-conversus; qui codicem Evangelii dextra manu tangens, emittit professionem fidei, prout inferius habetur: vel si nesciat legere, Sacerdos praelegit eidem tarde professionem, ut Conversus eamdem intelligere, et cum Sacerdote distinctis verbis pronuntiare possit.

PROFESSION OF FAITH.

I, N. N., having before my eyes the holy Gospels, which I touch with my hand, and knowing that no one can be saved without that faith which the Holy Catholic Apostolic Roman Church holds, believes and teaches, against which I grieve that I have greatly erred, inasmuch as I have held and believed doctrines opposed to her teaching.

I now, with grief and contrition for my past errors, profess that I believe the Holy Catholic Apostolic Roman Church to be the only and true Church established on earth by Jesus Christ, to which I submit myself with my whole heart. I believe all the articles that she proposes to my belief, and I reject and condemn all that she rejects and condemns, and I am ready to observe all that she commands me. And especially, I profess that I believe:

One only God in three divine Persons, distinct from, and equal to, each other—that is to say, the Father, the Son, and the Holy Ghost;

The Catholic doctrine of the Incarnation, Passion, Death, and Resurrection of our Lord Jesus Christ: and the personal union of the two Natures, the divine and the human; the divine Maternity of the most holy Mary, together with her most spotless Virginity;

The true, real, and substantial presence of the Body and Blood, together with the Soul and Divinity of our Lord Jesus Christ, in the most holy Sacrament of the Eucharist;

The seven Sacraments instituted by Jesus Christ for the salvation of mankind; that is to say, Baptism, Confirmation, Eucharist, Penance, Extreme Unction, Order, Matrimony;

Purgatory, the Resurrection of the dead, Everlasting life;

The Primacy, not only of honor, but also of jurisdiction of the Roman Pontiff, successor of St. Peter, Prince of the Apostles, Vicar of Jesus Christ;

The veneration of the Saints, and of their images;

The authority of the Apostolic and Ecclesiastical Traditions, and of the Holy Scriptures, which we must interpret, and understand only in the sense which our holy mother the Catholic Church has held, and does hold;

And every thing else that has been defined, and delared by the sacred Canons, and by the General Councils, especially by the holy Council of Trent.

With a sincere heart, therefore, and with unfeigned faith, I detest and abjure every error, heresy, and sect opposed to the said Holy Catholic and Apostolic Roman Church. So help me God, and these His holy Gospels, which I touch with my hand.

Germanice:

Ich N. N., mit den heiligen Evangelien vor meinen Augen, welche ich mit meiner Hand berühre, und in der Ueberzeugung, dass Keiner selig werden kann, ohne jenen Glauben, den die heilige, katholische, apostolische, römische Kirche hält, glaubt und lehrt, und gegen den ich zu meinem Schmerze sehr gefehlt habe, indem ich mich zu Lehren bekannte und sie glaubte, welche ihrer Lehre geradezu entgegengesetzt sind, bekenne nun, mit Schmerz und Reue über meine früheren Irrthümer, dass ich glaube, dass die heilige, katholische, apostolische, römische Kirche die einzige und wahre Kirche sei, welche Jesus Christus auf Erden gestiftet hat, und welcher ich mich mit ganzem Herzen unterwerfe. Ich glaube alle Artikel, welche sie mir zu glauben vorstellt, und verwerfe und verdamme Alles, was sie verwirft und verdammt, und bin bereit, Alles zu halten, was sie mir gebietet. Insbesondere bekenne ich, dass ich glaube:

Dass nur ein einziger Gott sei in drei göttlichen Personen, unterschieden von einander, welche einander ganz gleich sind — nämlich der Vater, der Sohn und der heilige Geist;

Ich glaube die katholische Lehre von der Menschwerdung, von dem Leiden, dem Tode und der Auferstehung unseres Herrn Jesu Christi; und die Vereinigung der zwei Naturen, der göttlichen und der menschlichen, in Einer Person; die göttliche Mutterschaft Mariä, der Allerheiligsten, sammt ihrer ganz fleckenlosen Jungfrauschaft;

Ich glaube die wahre, wirkliche und wesentliche Gegenwart des Leibes, zugleich mit der Seele und Gottheit, unseres Herrn Jesu Christi in dem Allerheiligsten Sacramente des Altares;

Ich glaube, dass es sieben Sacramente gibt, eingesetzt von Jesus Christus zum Heile der Menschen, nämlich: die Taufe, die Firmung, das Sacrament des Altars, die Busse, die letzte Oelung, die Priesterweihe, die Ehe;

Ich glaube an ein Fegfeuer, an die Auferstehung der Todten und an ein ewiges Leben;

Ich glaube, dass der römische Papst, als Nachfolger des heiligen Petrus, des Fürsten der Apostel und Stelltertreters Jesu Christi, den Vorrang hat, nicht bloss der Ehre, sondern auch der Gerichtsbarkeit;

Ich glaube an die Verehrung der Heiligen und ihrer Bilder;

Ich nehme an die apostolischen und kirchlichen Ueberlieferungen, sowie die heiligen Schriften, welche nur in dem Sinne auszulegen und zu verstehen sind, in welchem unsere heilige Mutter, die katholische Kirche, sie allzeit genommen hat und noch immer nimmt.

Endlich nehme ich an und glaube Alles, was von den heiligen Kirchensatzungen und allgemeinen Kirchenräthen und besonders von dem heiligen Kirchenrath zu Trient festgesetzt und erklärt worden ist.

Mit aufrichtigem Herzen und ungeheucheltem Glauben verabscheue ich desshalb und schwöre ab jeden Irrthum, jede Ketzerei und jede Secte, die der heiligen, katholischen und apostolischen, römischen Kirche entgegengesetzt ist. So wahr mir Gott helfe, und diese Seine heiligen Evangelien, die ich mit meiner Hand berühre.

Postea, Neo-converso genuflexo manente, Sacerdos sedens dicit Psalmum Miserere, *sive Psalmum* De Profundis, *cum Gloria Patri in fine. Quo finito, Sacerdos stans dicit:*

Psalmus 50.

Miserere mei, Deus: * secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum: * dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: * et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: * et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: * ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: * et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: * incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor: * lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam: * et exsultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis: * et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: * et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua: * et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tui; * et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: * et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meae: * et exsultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine, labia mea aperies: * et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: * holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: * cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion: * ut aedificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes et holocausta: * tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri. Sicut erat.

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te, Domine: * Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes, * in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: * Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitatio est: * et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem, * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, * et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel, * ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri. Sicut erat.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, secreto.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Salvum fac servum tuum (ancillam tuam).

R. Deus meus, sperantem in te.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere: suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum (hanc famulam tuam) quem (quam) excommunicationis catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. R. Amen.

Deinde Sacerdos sedet, et ad Profitentem genuflexum versus, eum ab haeresi absolvit, dicens:

Auctoritate apostolica, qua fungor in hac parte, absolvo te a vinculo excommunicationis quam *) incurristi, et restituo te sacrosanctis Ecclesiae sacramentis, communioni et unitati fidelium: in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Denique abjuranti aliquam poenitentiam salutarem injungat, e. g. aliquas preces, visitare Ecclesiam, aut similia.

*) In dubio gravi aut levi utrum poenitens excommunicationem incurrerit per haeresim professam, sacerdos hic inserat vocabulum *forsan*.

B.

Ordo Absolvendi ab Excommunicatione In Foro Externo.

Hora competenti poenitens se sistit ad altare, et ibi genuflectit ad pedes Sacerdotis superpelliceo et stola violacea induti, qui stans aperto capite, dicit:

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Salvum fac servum tuum (vel ancillam tuam), Domine;

R. Deus meus, sperantem in te.

V. Nihil proficiat inimicus in eo (vel ea);

R. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

V. Esto ei, Domine, turris fortitudinis;

R. A facie inimici.

V. Domine, exaudi orationem meam;

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum;

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum, quem (vel hanc famulam tuam, quam) excommunicationis sententia constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Deinde Sacerdos conversus ad poenitentem, dicit:

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius, et Reverendissimi Archiepiscopi Sti Ludovici mihi commissa, absolvo te a vinculo excommunicationis, in quam incurristi propter (*hic exprimat causam excommunicationis*), et restituo te communioni et unitati Fidelium et Sanctis Sacramentis Ecclesiae, in nomine Patris, ✠ et Filii, et Spiritus Sancti.

Si fuerint duo aut plures simul absolvendi, omnia pariter dicantur ut supra in proprio genere et numero plurali.

(*In Foro autem interiori, Confessarius habens facultatem absolvendi excommunicatum, absolvat juxta formam communem adhibitam in Absolutione Sacramentali.*)

C.

FORMULAE VARIAE.

Formula brevissima pro dispensationibus petendis.

Juxta formulam a S. Poenitentiaria approbatam.

(*Tit . . .*) Illustrissime ac Reverendissime D.

N. N. annos natus . . . et N. N. annos nata . . ., parochiani mei, humiliter postulant dispensationem super impedimento . . . ut legitimum inter se matrimonium contrahere possint.

Causae sunt: 1) . . . .

2) apes. fundata conversione . .

(*Oratores pauperes sunt . . .*)

Testor vera esse exposita et oratores pro gratia commendo.

N. N. die . . .

N. N.

Rector Eccles. ..... *in* .....

[dispensationem super duabus (tribus) proclamationibus

Formula de proclamationibus bannorum in altera ecclesia factis.

Reverende Pater:

Hisce testor, sponsalia inita inter N. N. et N. N. tribus vicibus inter Missarum solemnia in hac mea ecclesia parochiali juxta Decreta S. Concilii Tridentini et statuta hujus dioecesis, promulgata esse, nullumque impedimentum pro matrimonio ineundo innotuisse.

(L. S.) *N. N.*

Formula de promissionibus in matrimoniis mixtis.

(*To be signed, in duplicate, by the non-Catholic party.*)

I, the undersigned . . . . . not a member of the Roman Catholic Church, wishing to contract marriage with . . . . . , a member of the Roman Catholic Church, purpose to do so with the understanding that the marriage bond thus contracted is indissoluble, except by death; and I promise that . . . . shall be permitted the free exercise of religion according to the Roman Catholic Faith, and that all children, of either sex, born of this marriage, shall be baptized and educated in the faith and according to the teachings of the Roman Catholic Church, even if . . . . . should happen to be taken away by death. I furthermore promise that no other marriage ceremony than that to be performed by the Catholic priest shall take place.

Signed in the presence of the Reverend . . . . . Priest, at . . . . this . . . . day of . . . . 18 . . .

.....
.....
} *Witnesses.*

Formula pro reparatione scandali eorum, qui coram ministro haeretico contraxerunt.

I, ... having, in defiance of the laws of the Catholic Church, gone before a Protestant minister to be married, and thereby incurred the censure of the church and given great scandal, do publicly acknowledge my fault, and hereby authorize the Rev. . . . . to read this my declaration before the Congregation present in . . . . Church on Sunday, ... 18 . . .

I humbly beg forgiveness of God for my sin, and pardon of all the faithful whom I have scandalized.

....

Witnessss:

....

....

Formulae pro confraternitatibus erigendis et aggregandis.

1. Petitio ad Ordinarium pro erectione.

Rvme et Illustme Domine!

N. N. motus desiderio promovendi devotionem erga ..... *(B. Mariam Virginem, vel S.* .....*) humiliter petit a Te, Rvme et Illme Dne, 1) ut Confraternitatem (Congregationem* .....*) utriusque sexus Christifid lium (vel juvenum, virginum* .....*) sub titulo (B. Mariae Virg., vel S.* .....*) in ecclesia S.* ..... *loci* ..... *canonice erigere ejusque statuta hisce litteris inclusa*

approbare digneris; 2) ut R. D. ..... *(parochum, vicarium ejusque pro tempore successores) Confraternitatis praesidem constituas cum facultatibus necessariis et opportunis, praesertim substituendi sibi alium sacerdotem, si opus fuerit, ad recipiendos fideles et alia praesidis munia exercenda: (et 3) ut eandem Confraternitatem commendes [Rmo P. Generali vel] Archiconfraternitati ejusdem nominis Romae [vel* .....*] constitutae pro aggregatione.*

P. S.—Confraternitas illius nominis et instituti hic non existit; aliae autem Confraternitates piaeque Uniones in hac ecclesia jam erectae sunt hae .....

2. Decretum erectionis.

Visibus precibus Nobis oblatis auctoritate Nostra erigimus Confraternitatem, de qua in precibus, ejusque statuta a Nobis revisa approbamus, eandem Nobis ac successoribus Nostris subjicientes ac subjectam declarantes secundum Constitutionem fel. rec. Clementis PP. VIII. ,,Quaecumque" d. d. 7. Decembris 1604. Rectorem autem ejusdem Confraternitatis designamus R. D. N. ..... *(parochum, vicarium vel provisorem ejusque pro tempore successores) tribuendo ei facultates necessarias et opportunas et praesertim, ut possit, si opus sit, alium sibi sacerdotem substituere ad recipiendos fideles etc.*

Datum ....

3. Si erectio ad Generalem Ordinis pertineat.

a) Petitio ad Ordinarium.

Rme et Illme Dne!

N. N. quo efficacius impellat fideles sibi commissos ad colendam (B. Virginem Dolorosam, vel .....*), humiliter petit a Te, Rme et Illme Dne, 1) ut a Rmo P. Generali (Servorum B. Mariae Virg., vel* .....*) in ecclesia Sancti N. loci N., (ad altare* .....*); 2) statuta ejusdem hisce litteris inclusa approbes; 5) ut R. D.* ..... *(parochum, vicarium* ..... *ejusque pro tempore successores) designes Confraternitatis praesidem cum facultate alium sibi sacerdotem ex rationabili causa substituendi ad recipiendos fideles; 4) ut litteris testimonialibus Rmo P. Generali praedicto ejus Confraternitatis pietatem et christianae charitatis officia, quae exercere cupit, pro erectione commendare*

digneris. (*Confraternitas illius nominis et instituti hic non existit*). *Aliae Confraternitates etc. in hac ecclesia jam erectae sunt haec* .....

b) Testimonium Ordinarii.

Visis precibus Nobis oblatis consentimus erigi Confraternitatem de qua in precibus etc. (*ut in N. 1*) *Demum ipsius Confraternitatis instituendae pietatem et christianae caritatis officia, quae exercere cupit, Rmo. P. Generali* ..... *pro benigna erectione enixe commendamus.*

c) Petitio ad Rmum. P. Generalem.

Rmo P. Generalis. —

Quum infrascriptus orator N. N. rector ecclesiae parochialis (*succursalis vel oratorii*) *Sancti N. N. loci N. in dioecesi N. Confraternitatem* (*Septem Dolorum B. M. V. vel* .....) *in praedicta ecclesia constituere desideret, Rmo et Illmo Dno N. N. Episcopo N. statuta ejusdem Confraternitatis jam proposuit atque ab eodem consensum atque commendationem pro erectione obtinuit, prout litterae hisce adnexae testantur.*

Quare praedictus orator Paternitatem tuam humiliter rogat, ut dictam Confraternitatem in hac ecclesia S. N. (*ad altare S. N.*) *erigere et praesidi a Rmo Episcopo designato ejusque pro tempore successoribus facultates necessarias et opportunas* (*benedicendi coronas, benedicendi et imponendi scapularia* .....) *communicare velis, concessa etiam venia, ut Confraternitatis pro tempore rector ex rationabili causa alium sibi sacerdotem substituere possit ad recipiendos fideles, benedicenda scapularia* (*coronas*) *et alia praesidum munia exercenda.*

4. Litterae testimoniales Ordinarii de erectione facta.

Tenore praesentium fidem facimus, per Decretum d. die ..... *a Nobis editum in ecclesia S.* ..... *loci* ..... *dioecesis Nostrae canonice erectam esse piam Confraternitatem sub titulo* .....

Cum autem Nobis expositum, pro majori dictae Confraternitatis incremento desiderandum fore, ut ipsa Archiconfraternitati ejusdem nominis Romae (*vel* .....) *existenti aggregetur; cum praeterea laudatae Confraternitatis institutum, pietas et christianae caritatis officia, quae in ea peraguntur, maxime commendanda censeamus, porrectis Nobis precibus libenter annuentes, per*

praesentes Litteras licentiam concedimus, quinimo valde exoptamus ut eadem Confraternitas praedictae Archconfraternitati quamprimum uniatur et aggregetur.

Testamur postremo, nihil petitae aggregationi obstare; neque enim (in dicto loco ad a existit Confraternitas illi Archiconfraternitati jam aggregata, neque ipsa) memorata Confraternitas alteri Archiconfraternitati jam aggregata est.

5. Petitio pro aggregatione.

Rev. Dne:

Quum Rmus Dnus N. N. Episcopus N. in ecclesia Sancti N. loci N. hujus dioecesis N. Confraternitatem sub invocatione N. (v. g. Immaculati Cordis B. M. V. vel .....) canonice erexerit atque consensum suum et commendationem pro aggregatione ad Archiconfraternitatem istam benigne praestiterit, prout documenta hisce litteris adnexa testantur, infrascriptus orator N. N. ejusdem Confraternitatis rector enixe rogat, ut Rev. Vestra (vel venerabilis istius Archconfraternitatis praeses) nostram Confraternitatem Archiconfraternitati ejusdem nominis praedictae ibi existenti aggregare velit cum communicatione omnium indulgentiarum et gratiarum eidem concessarum, facta etiam facultate, ut rectores pro tempore et illi sacerdotes, quos iidem cum Ordinarii licentia sibi substituerint, benedicere (et imponere) possint coronas (scapularia) et alia praesidum munera exercere.

Notamus, nostram Confraternitatem nuli alii Archconfraternitati esse aggregatam (neque hic aliam esse Confraternitatem ejusdem nominis praefatae Archiconfraternitati aggregatam).

Formula brevissima de erectione canonica confraternitatis.

Hisce testamur, Nos die ..... mensis ..... A. D. 189 . . in Ecclesia sub titulo .... in .... petente ejusdem Ecclesiae Rectore, Rev. D. ..... confraternitatem (Purissimi et Immaculati Cordis B. M. V. pro conversione peccatorum) canonice instituisse, volentes ut quam primum Archiconfraternitati (Parisiensi) aggregetur.

Datum.....

(Sigillum.)

IV.

FACULTATES ORDINARIAE ET EXTRA-ORDINARIAE.

A.

Facultates ordinariae Sacerdotibus Dioecesis Sti Ludovici concessae.

Rev. Domino. . . . . .

Tua, Reverende Domine, virtute, doctrina et prudentia fidentes, committimus tibi Auctoritate Nostra nec non a S. Sede Nobis delegata facultates sequentes, valituras usque ad revocationem, sed non exercendas intra limites parochiae seu districtus alteri sacerdoti commissi, nisi ex ejus consensu prius habito; secluso tamen casu extremae necessitatis.

1. Celebrandi Missam intra fines Nostrae Dioecesis; idque per unam horam ante auroram et unam post meridiem, sine ministro, etiamsi altare sit fractum, vel sine reliquiis Sanctorum, et praesentibus haereticis, schismaticis et infidelibus.

2. Audiendi confessiones fidelium utriusque sexus stola et superpelliceo indutus. Extra casum necessitatis confessiones alterius sexus non nisi in confessionali crate instructo audiantur.

3. Audiendi confessiones Sororum, quae in parochia tibi commissa domum vel residentiam habent, cum jure hanc facultatem casu infirmitatis vel absentiae cuicumque sacerdoti a te seligendo subdelegandi.

4. Praedicandi Verbum Dei, et baptizandi, atque administrandi Sacramentum Extremae Unctionis infirmis.

5. Dispensandi in quibuscumque irregularitatibus, exceptis illis, quae proveniunt vel ex bigamia vera, homicidio voluntario, vel ab exercitio ordinis aut jurisdictionis, dum quis ex sententia a Nobis prolata ab illo suspenditur.

6. Dispensandi et commutandi vota simplicia in alia bona opera, et dispensandi ex rationabili causa in votis simplicibus castitatis et religionis; exceptis tamen iis quae emittuntur in societatibus religiosis sive virorum sive mulierum in Nostra Dioecesi existentibus.

7. Absolvendi et dispensandi in quacumque simonia; et in reali, dimissis beneficiis, et super fructibus male perceptis, injuncta aliqua eleemosyna vel poenitentia salutari arbitrio dispensantis.

8. Absolvendi ab haeresi et apostasia a fide et a schismate quoscumque, etiam ecclesiasticos, tam saeculares quam regulares; non tamen eos qui ex locis fuerint ubi sanctum Officium exercetur, nisi in locis missionum in quibus impune grassantur haereses deliquerint, nec illos qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur haereses, et post judicialem abjurationem illuc reversi in haeresim fuerint relapsi, et hos in foro conscientiae tantum.

9. Absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, etiam in Bulla ,,Apost. Sedis'' 12 Oct. 69. contentis: exceptis casibus expressis in Bulla Benedicti XIV, ,,Sacramentum Poenitentiae'' nempe (*a*) complicem proprium in aliquo peccato contra sextum Decalogi praeceptum; (*b*) sacerdotem qui complicem suum in dicto peccato absolvere attentaverit; (*c*) personam sollicitatam, antequam obligationi denuntiandi satisfecerit; (*d*) calumniatores, qui innoxios sacerdotes apud Ecclesiasticos judices falso sollicitationis accusaverint.

10. Absolvendi etiam directe in casibus Nobis specialiter reservatis:

a) aegrotos, quibus S. Eucharistia, etsi devotionis tantum gratia, vel Extrema Unctio administratur;

b) nupturientes qui in ordine ad Matrimonium confitentur;

c) eos qui sacris missionibus vel exercitiis spiritualibus operam dant;

d) detentos in carcere;

e) eos, qui reservationem vel censuram quo tempore in crimen prolapsi sunt, ignoraru n.

11. Concedendi Indulgentiam plenariam primo conversis ab haeresi atque etiam fidelibus quibuscumque in articulo mortis, saltem contritis, si confiteri non poterint.

12. Largiendi ter in anno Indulgentiam plenariam contritis, confessis ac Sacra Communione refectis, item lucrandi tibi easdem Indulgentias.

13. Singulis secundis feriis non impeditis officio novem lectionum, vel eis impeditis die immediate sequenti, celebrando Missam de requie in quocumque altari etiam portatili, liberandi animas secundum tuam intentionem a purgatorii poenis per modum suffragii.

14. Deferendi SS. Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii.

15. Induendi te vestibus saecularibus, si aliter ad loca tibi commissa transire vel in eis permanere non poteris.

16. Retinendi ac caute legendi libros ab Apostolica Sede prohibitos etiam contra Religionem ex professo agentes, exceptis astrologicis, judiciariis, superstitiosis ac obscoenis ex professo, ad effectum tantum eos impugnandi; quos tamen diligenter custodias ne ad aliorum manus perveniant.

17. Recitandi Rosarium vel alias preces, si Breviarium tecum deferre, vel divinum officium ob legitimum impedimentum recitare non poteris.

18. Recitandi privatim matutinum cum laudibus diei sequentis statim elapsis duabus horis post meridiem, legitima concurrente causa.

19. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjuge machinante, et restituendi jus amissum petendi debitum.

20. Benedicendi coronas precatorias, cruces et sacra numismata cum indulgentiis consuetis; nec non

erigendi Confraternitates B. M. V. de Monte Carmelo, Sanctissimi Rosarii et Bonae Mortis cum applicatione omnium Indulgentiarum et Privilegiorum quae Summi Pontifices iisdem Confraternitatibus impertiti sunt — dummodo Cancellarium Nostrum certiorem facias de confraternitatibus erigendis.

21. Cum facultas erigendi pium exercitium Viae Crucis necessaria pro unoquoque casu in scriptis ab Ordinario obtinenda sit, semper ad Ordinarium, potius per Cancellariam, recurrendum erit.

22. Benedicendi paramenta et alia utensilia ad Sacrificium Missae necessaria ubi non intervenit sacra unctio; et reconciliandi Ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta; et in casu necessitatis, etiam aqua non benedicta ab Episcopo.

23. Dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carnium, ovorum et lacticiniorum diebus jejunii et abstinentiae.

24. Celebrandi duas Missas diebus Dominicis et Festis de praecepto, quandocumque pro populo tibi commisso necessarium fuerit.

Datum S. Ludovici sub sigillo Nostro, adjecta subscriptione Vicarii Nostri Generalis et Cancellarii die mensis A. D. 18

De Mandato Illmi. ac Revmi., D. Archiepiscopi.

B.

Facultates extraordinariae.

Nos, Joannes Josephus Kain, Archiepiscopus Sti Ludovici, vi facultatis die 1. Martii 1889 omnibus

Ordinariis a S. Sede concessae, sacerdotibus Nostris, qui parochialibus funguntur muneribus habitualiter subdelegamus facultatem „dispensandi aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem super impedimentis quantumvis publicis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus Ordine, et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente"; pro casibus tantum, in quibus desit tempus ad Nos recurrendi et periculum sit in mora— *ad normam sequentium Decretorum S. Sedis.*

Haec facultas valet etiam pro casu, ubi impedimentum directe tantum existat in parte bene valente, ex. gr. si monialis, votis solemnibus ligata bene valeat, et altera pars, sc. vir sit aegrotus (C. S. O. 1 Jul. 1891.)

Non valet autem pro iis, qui nec matrimonium civile contraxerunt, nec vivunt in concubinatu. (S. C. O. 17 Sept. 1890.)

Sti Ludovici, hac die 25 Maji 1897.

† J. J. Kain,

Archiepp. Sti Ludovici.

a) *Ex S. Cong. S. R. U. Inquisitionis.*

Ex Litteris ad Ordinarios locorum quoad dispensationes matrimoniales.

Illme ac Revme Domine.

De mandato Sanctissimi D. N. Leonis XIII Supremae Congregationi S. Rom. et Univ. Inquisitionis nuperrimis temporibus duplex quaestionum

genus expendendum propositum fuit. Primum respicit facultates, quibus urgente mortis periculo, quando tempus non suppetit recurrendi ad S. Sedem, augere conveniat locorum Ordinarios dispensandi super impedimentis publicis matrimonium dirimentibus cum iis, qui iuxta civiles leges sunt coniuncti aut alias in concubinatu vivunt, ut morituri in tanta temporis angustia in faciem Ecclesiae rite copulari, et propriae conscienriae consulere valeant : alterum spectat ad executionem dispensationum, quae ab Apostolica Sede impertiri solent.

Re serio diligenterque perpensa, approbatoque et confirmato Eminentissimorum Patrum una mecum Generalium Inquisitorum suffragio, Sanctitas Sua benigne annuit pro gratia, qua locorum Ordinarii dispensare valeant sive per se, sive per ecclesiasticam personam, sibi benevisam, aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem super impedimentis quantumvis publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus Ordine, et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente.

Mens autem est eiusdem Sanctitatis Suae, ut si quando, quod absit, necessitas ferat, ut dispensandum sit cum iis, qui sacro subdiaconatus aut diaconatus Ordine sunt insigniti, vel solemnem professionem religiosam emiserint, atque post dispensationem et matrimonium rite celebratum convaluerint, in extraordinariis huiusmodi casibus, Ordinarii de impertita dispensatione Supremam Sancti Officii Congregationem certiorem faciant, et interim omni ope curent, ut scandalum, si quod adsit, eo meliori modo quo fieri possit removeatur tum inducendo eosdem ut in loca

se conferant, ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum si id obtineri nequeat, iniungendo saltem iisdem spiritualia exercitia aliasque salutares poenitentias, atque eam vitae rationem, quae praeteritis excessibus redimendis apta videatur, quaeque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum.

Datum Romae die 20 Februarii 1888.

RAPH. Card. MONACO.

b) *Dubium quoad facultatem dispensandi super impedimentis publicis matrimonialibus in mortis periculo.*

Illme ac Rme Domine.

Supremae huic Congregationi Sancti Officii propositum fuit dubium: „Utrum Ordinarii in casibus extremae necessitatis facultatem dispensandi super impedimentis publicis matrimonialibus in mortis periculo, literis Supremae Congregat. die 20 Febr. 1888 concessam, parochis et universim confessariis approbatis modo generali subdelegare valeant, an non." Quo dubio mature perpenso, Eminentissimi Patres una mecum Generales Inquisitores fer. IV. die 9 Ianuarii 1889 dixerunt: „Supplicandum Sanctissimo ut decernere et declarare dignetur, Ordinarios quibus memorata facultas praecitatis literis diei 20 Februarii 1888 data fuit, posse illam subdelegare habitualiter parochis tantum, sed pro casibus, in quibus desit tempus ad ipsos Ordinarios recurrendi et et periculum sit in mora." Eadem feria ac die Sanctissimus D. N. D. Leo divina providentia PP. XIII,

in solita audientia R. P. D. Adsessoris S. O. impertita, benigne annuere dignatus est iuxta Eminentissimorum PP. suffragium.

Haec tibi dum nota facio, fausta cuncta ac felicia precor a Dno.

Datum Romae ex S. O. die 1 Martii 1889.

R. Card. Monaco.

c) *Ad Archiepiscopum Compostellanum.*

Illme et Rme Domine.

Litteris datis non multis abhinc diebus querebat Amplitudo Tua, utrum vi decretorum diei 20 Febr. 1888 et 1 Martii 1888 valeant Ordinarii per se vel per parochos dispensare super impedimentis publicis iuris ecclesiastici, exceptis presbyteratu et affinitate in linea recta, omnes in articulo mortis constitutos, *licet matrimonium civile, quod vocant, non celebraverint nec vivant in concubinatu.*

Res delata est ad Emos DD. Cardinales una mecum Inquisitiores generales, qui in Congregatione habita feria IV die 17 currentis mensis respondendum mandarunt: *Negative.*

Quoad dum significo, fausta quaeque Ampl. Tuae precor a Domino.

Datum Romae die 22 Septembris 1890.

Addictmus in Domino.

R. Card. Monaco.

d) *Ad Episcopum Vicensem.*

Beatissime Pater.

Episcopus Vicensis ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus sequens reverenter exponit dubium. Ex literis istius S. R. et U. Inquisitionis diei 20 Februarii 1888, „Sanctitas Tua benigne annuit pro gratia, qua locorum Ordinarii dispensare valeant aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos super impedimentis quantumvis publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus Ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente." Iamvero super intelligentia verborum „aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos," non leve exortum est inter quosdam dissidium. Sunt enim qui asserant locum dispensationi tantum esse, quum impedimentum afficiat directe aegrotum, non vero quum agrotus sit solutus, et impedimentum tantum directe afficiat bene valentem. Dum alii e contra facultatem dispensandi Ordinariis concedi putant, quamvis aegrotans non habeat in se impedimentum, sed hoc directe tantum exsistat in bene valente. Unde quum civiliter sint conjuncti, aut alias in concubinatu vivant ex. gr., puella soluta et Diaconus, illaque aegrotante, hic valens sit, possetne Ordinarius cum his dispensare? Vel si monialis aegrotans in concubinatu viveret cum Diacona bene valente, essetne locus dispensationi, quum Diaconus non sit in gravissimo mortis periculo constitutus?

Feria IV die 1 Julii 1891.

In Congne Genli S. Rom. et U. Inquis. proposita suprascripta instantia, prachabitoque Rmorum DD. Consultorum voto, Emi ac Rmi Dni Cardinales

in rebus fidei et morum Generales Inquis. respondendum mandarunt: *Ordinarios locorum, vi Decreti diei 20 Februarii 1888, in utroque casu allato dispensare posse, et in utroque pariter S. Congregnem S. Officii de impertita dispensatione certiorem reddere, ac ea interim curare debere, quae in eodem decreto praescribuntur.* Sequenti vero die SSmus D. N. Leo div. prov. Pp. XIII in audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, relatam sibi Emorum Patrum resolutionem benigne adprobare dignatus est.

J. Mancini, *S. R.* et *U. I. Not.*

V.

PRIVILEGIA.

1. Conceduntur varia privilegia et facultates. 1816.

Extractum e supplici libello Rmi Guil. duBourg ad Summum Pontificem Pium VII.

Rme Pater!

Ludovicus Guil. Du Bourg. Eppus Neo-Aurelianensis ad pedes B. Vae. prostratus humillime precatur:

1) Pro facultate erigendi in quavis suae Dioeceseos Ecclesia quamlibet ex Confraternitatibus a S. Sede approbatis cum omnibus indulgentiis et gratiis spiritualibus eidem a SS. PP. annexis.

2) Erigendi Viam Crucis in quavis Ecclesia, piove loco, intra eandem Dioecesim cum omnibus et singulis privilegiis huic devotioni concessis.

3) Conformandi quoad reductionem festorum de praecepto usui recepti in Baltimorensi Dioecesi. — Quod vero ad festa localis devotionis, transferendi ea ad quamlibet Dominicam in anno non impeditam.

4) Ut ad Oratoris Dioecesanos extendere dignetur Bo. Va. omnes indulgentias et privilegia, quibus gaudet Dioecesis Baltimorensis.

5) Ut tam sibi quam sacerdotibus et singulis ad officium divinum obligatis, in sua Dioecesi licitum sit, officia concessa pro Hispaniis, Italia etc recitare. Officium verò SS. Sacramenti qualibet feria V, et Conceptionis quolibet sabbato non impedito.

6) Ut facultas carnes edendi quovis Sabbato in anno, praeter Quadragesimam, quae in suam Dioecesim ab Hispaniis jam fere a 50 annis invecta est, virtute immemorabilis privilegii huic genti concessi, quaeque ideo sine gravi incommodo retrahi non potest, a Sancta Sede confirmetur.

Cui supplici libello subscriptum legitur in originali, totum manu D. N. Pii Papae VII.

6. Januarii 1816. Pro gratia arbitrio et prudentia Episcopi cum facultatibus.

Pius PP. VII.

2. Missa cantata de Requiem diebus duplicibus. 1829.

Ex Audientia Sanctissimi habita die 13. Septembris 1829.

Cum R. P. D. Joseph Rosati Episcopus S. Ludovici ac Administrator Apostolicus Novae Aureliae humiliter Sanctissimo D. N. Pio P.P. VIII. exposuerit, quod Fel. Me. Pius VII. precibus R. P. D. Ludovici Gulielmi Dubourg tunc Neo-Aurelianensis Episcopi concessit sacerdotibus utriusque Dioecesis, ut officia plurima possent recitare, quae pro Hispanis, Italis,aliisque nationibus a S. Sede jam approbata fuerant ; (et) cum haec fere omnia sub ritu duplici fiant, officiis ferialibus sublatis, solisque semiduplicibus, quae in Breviario Romano occurrunt, relictis, fre-

quenter accidit, ut Missae solemnes de Requie atque officia defunctorum non possint, nisi in diebus, in quibus fit de duplici officio cantare, quod rubricis obstat. Ea autem differre ad aliquos menses, grave et ingratum esset pietati fidelium, qui et plurimum istiusmodi extrema officia suis vita functis persolvere nequeunt ipso obitus vel depositionis die, Sanctitas Sua ingens beneficium ipsi atque universo clero Sancti Ludovicensis et Neo-Aurelianensis Dioecesis faceret, si concederet, ut officia et Missae solemnes defunctorum diebus duplicibus non obstantibus Rubricis in utraque Dioecesi valeant celebrare.

Sanctitas Sua referente me infrascripte S. Congr. de Prop. Fide Secretario, re mature pro sua summa sapientia perpensa, benigne annuit in omnibus pro gratia juxta preces. Non obstantibus Rubricis ac Constitutionibus Apostolicis hac super re in contrarium facientibus, ceterisque quibuscunque.

Datum Romae, ex aedibus d. S. Congr. die et anno quibus supra. Gratis sine ulla omnino solutione quocunque titulo.

(L. S.) C. Castracane, *Secretarius.*

3. Conceduntur variae Indulgentiae. 1841.

Beatissime Pater,

Joseph Rosati, Episcopus S. Ludovici ad Sanctitatis Vestrae pedes humillime provolutus petit, ut Sanctitas Vestra concedere dignetur in perpetuum servatis consuetis conditionibus. —

1) Indulgentiam plenariam quotidianam Christi fidelibus Ecclesiam Cathedralem S. Ludovici visitantibus.

2) Indulgentias Septem Ecclesiarum Urbis visitantibus quatuor altaria praedictae ecclesiae Cathedralis.

3) Indulgentias Stationum Urbis visitantibus dictam Ecclesiam Cathedralem diebus Stationum.

4) Indulgentiam plenariam diebus anniversariis Dedicationis, et infra octavam et octava ejusdem ecclesiae.

5) Indulgentiam plenariam die Festi S. Ludovici, titularis ecclesiae cathedralis, et per octavam.

6) Indulgentiam plenariam in diebus Festi S. Vincentii a Paulo, Translationis et obitus ejusdem, et per octavam.

7) Indulgentiam plenariam die Festi S. Patritii et per octavam.

8) Indulgentiam plenariam pueris et puellis omnium parochiarum Dioecesis S. Ludovici die quo primam communionem recipiunt; item eorum parentibus aliisque Christifidelibus qui eadem die ad S. Synaxin accedunt.

9) Indulgentiam plenariam Christifidelibus omnibus Dioecesis S. Ludovici die quo S. Communione refecti recipiunt Sacramentum Confirmationis.

10) Indulgentiam plenariam diebus Anniversariis Dedicationis et per octavam uniuscujusque Ecclesiae sive jam consecratae sive in posterum aedificandae et consecrandae.

11) Indulgentiam plenariam die festo et per octavam Patroni et Titularis uniuscujusque ecclesiae in Dioecesi, etiam earum quae in posterum, deo donante, aedificabuntur.

12) Ut Sacerdotes, qui in parochiis seu Missionibus dioecesis sunt, lucrari possint Indulgentias plenarias praedictas, et alias quascunque, etiamsi, deficiente copia confessarii, ad S. poenitentiae Tribunal non accesserint.

Quare etc.

Ex Audientia Ssmi habita 3. Aprilis 1841.

Sanctissimus Dominus noster Gregorius Divina providentia P.P. XVI., referente me infrascripto Sacrae Congr. de Propaganda Fide Secretario, perpensis expositis, benigne omnes Indulgentias in supplici libello petitas in perpetuum concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Aed. dictae S. Congregationis, die et anno quibus supra. Gratis omnino sine ulla solutione quocunque titulo.

J. Archs. Edessen.

4. Formula pro parvulis conceditur pro baptismo adultorum. 1859.

Beatissime Pater!

Archiepiscopus et Episcopi Provinciae S. Ludovici, Statuum foederatorum Americae Septentrionalis, in secunda Synodo Provinciali congregati humiliter petunt, ut in Baptismo adultorum liceat uti formula in Baptismo parvulorum adhibenda usque dum S. Sedes aliter statuerit.

Ex audientia Ssmi. habita 6to Febr. 1859, Ssmus. Dnus Noster Pius Divina Providentia P. P. IX., referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, benigne annuit pro gratia juxta preces, et interim curent de inducenda formula pro adultis a Rituali Romano praescripta.

Datum Romae ex Aed. dictae S. Congregationis, die et anno praedictis. Gratis sine ulla etc.

CAJETANUS, *Archiep, Thebarum, a Secretis.*

5. Missa privata de Requie in dupl. bis in mense. 1859.

Beatissime Pater!

Archiepiscopus S. Ludovici etc. humiliter postulant Indultum jam aliis regionibus concessum Missam *privatam* de Requie celebrandi die Obitus seu Depositionis, praesente vel non praesente corpore defuncti, in festis duplicibus, et etiam Missam de Requie bis in mense festis duplicibus celebrandi extra diem Obitus seu Depositionis.

Ex audientia Ssmi, habita die — Januarii, 1859, Ssmus Dnus noster Pius D. Prov. P. P. IX., referente me infrascripto S. Congr. de P. F. Secretario, auditis resolutionibus E. E. P. P. Cardinalium praefatae Congregationis ejusd. mens. et ann. benigne annuit rescribi: *Affirmative* in omnibus.

Datum Romae etc.

CAJETANUS, *Arch. Theb., a Secretis.*

6. Quoad benedictionem et asservationem SS. Sacramenti 1859.

Beatissime Pater!

Archiep. S. Ludovici pro se et suis suffraganeis postulat privilegium dandi vespere post

tenebras Benedictionem SS. Sacramenti, illudque etiam asservandi in domibus religiosis, etiamsi non fuerint canonice institutae.

Ex audientia Ssmi, die 17. Aprilis 1859 habito, Ssmus Dnus Noster Pius P. P. IX., annuit pro gratia quoad primum, dummodo non sit nimis sero, et a confusione virorum et mulierum scandalum non oriatur, et quoad secundam pro gratia, servatis servandis, i. e. cum lampade continuo accensa et quotidie, si fieri potest, Missa celebretur.

Datum Romae ex aedit., ut supra.

CAJETANUS, *Archiep. Thebarum, a Secretis.*

7. Oratoria institutorum pro publicis Ecclesiis habenda quoad indulgentias lucrandas. 1896.

Beatissime Pater!

Joannes Josephus Kain, Archiepiscopus Sti Ludovici, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, suppliciter petit ut in favorem majoris Seminarii Sti Ludovici omniumque institutorum piorum religiosarum communitatum hujus Archidioeceseos, quae tali privilegio adhuc non gaudent, concedatur speciale indultum, vi cujus eorum Oratoria tamquam ecclesiae publicae habeantur, pro lucrandis indulgentiis, quae non ad certam ecclesiam ratione peculiaris privilegii pertinent.

Ex Audientia SSmi habita die 8. Decembris 1896.

SSmus Dominus Noster Leo Divina Providentia P. P. XIII., referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, benigne adnuere dignatus est pro gratia juxta preces, favore illorum

tantum, qui in respectivis claustris, vel Institutis, habitualiter commorantur: Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide die et anno uti supra.

A. Archiep. Larissen, *Secretis.*

8. Confessio bis in mense sufficiens pro omnibus Indulgentiis lucrandis. 1896.

Ex Audientia SSmi habita die 8. Decembris 1896.

SSmus D. N. Leo Divina Providentia P.P. XIII. referente me infrascripto S. C. de Propaganda Fide Secretario, benigne indulsit ad decennium ut fideles Dioecesis Sancti Ludovici, in Statibus Foederatis Americae Septentr. deficiente copia Confessariorum, sacramentalem confessionem peragendo bis in mense, si commode frequentius nequeant, consequi valeant omnes et singulas indulgentias etiam sine actuali confessione, quae ad ipsas lucrandas ceteroquin necessaria esset, dummodo nullius lethalis culpae conscii sibi fuerint; firmo tamen in reliquis Decreto S. Congregationis Indulgentiarum diei 9. Decembris a. 1763 circa indulgentias Jubilaei tam ordinarii quam extraordinarii, aliasque ad instar Jubilaei concessas.

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die et anno praedictis.

A. Archiep. Larissen, *Secr.*

9. De translatione festorum certis Dominicis affixorum. 1897.

Sancti Ludovici.

Ne ob occursum festi potioris ritus, nonnulla festa particularia certis Dominicis affixa in Kalendario per-

petuo ad usum Archidioeceseos Sancti Ludovici, penitus omitti aliquando cum moerore contingat in Ecclesiis eiusdem Archidioeceseos, Rmus Dnus Joannes J. Kain, Archiepiscopus S. Ludovici, Ssmum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII humillime rogavit, ut ejusmodi festa Dominicis vel feriis quibusdam assignata, quoties impedita occurrant, in primam subsequentem diem liberam transferri valeant. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Ssmo Domino Nostro tributis, petitum privilegium benigne indulsit iuxta preces: dummodo serventur Rubricae, et sub conditione, ut festa Instrumentorum et Mysteriorum Dominicae Passionis non transferantur ultra quadragesimam. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 11 Januarii 1897.

Caj. Card. Aloisi Masella, *Praef.*

D. Panici, *Secr.*

10. Facultas thurificandi in Missis cantatis.

1897.

Sancti Ludovici.

Rmus Dnus Joannes J. Kain, Archiepiscopus Sancti Ludovici a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII humillimis datis precibus expetivit, ut morem qui in Ecclesiis sibi creditae Archidioeceseos ab annis invaluit, adhibendi thurificationem in Missis, quae ob defectum Sacrorum Ministrorum in festis duplicibus primae et secundae classis absque Diacono et Subdiacono celebrantur, Apostolica Auctoritate confirmare dignaretur. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem

Sanctissimo Domino Nostro tributis, hujusmodi privilegium benigne concessit iuxta preces: Servatis tamen Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 12 Januarii 1897.

† Caj. Card. Aloisi Masella, *Praef.*

D. Panici, *Secr.*

11. Facultas celebrandi Missam de Requiem ter in hebdomada in duplicibus. 1897.

Prot. 22606.

Ex Audientia SSmi habita die 16 Martii 1897 SSmus Dominus Noster Leo Divina Providentia PP. XIII referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario RR. DD. Presbyteris dioecesis S. Ludovici facultatem tribuit celebrandi ter in hebdomada Missam de *Requiem*, occurrente etiam festo ritus duplicis; exceptis primae et secundae classis, diebus Dominicis aliisque festis de praecepto servandis, nec non vigiliis, feriis atque octavis privilegiatis: de consensu Ordinarii, ad quinquennium.

Datum Romae ex Aed. Sacrae Congregationis de Propaganda Fide die et anno ut supra.

A. Archiep. Larissen, *Secr.*

VI.

TITULI ECCLESIARUM ETC.

Corporate Titles of Ecclesiastical Institutions and Religious Communities in the Diocese of St. Louis.

1. "*The St. Louis Roman Catholic Theological Seminary.*"
2. "*St. Louis University*", held by the Jesuit Fathers.
3. "*The Franciscan Fathers of the State of Missouri*".
4. "*Society of the Congregation of the Missions of St. Louis, Mo.*"
5. "*St. Mary's Seminary, Perryville, Mo.*", in possession of the Lazarists.
6. "*Redemptorist Fathers.*"
7. "*St. Joseph's College of the Redemptorist Fathers*" at Windsor Springs, Mo.
8. "*The Retreat of the Passionist Fathers;*" Normandy, Mo.
9. "*Christian Brothers College, St. Louis, Mo.*"
10. "*La Salle Institute, Glencoe, Mo.*" held by the Christian Brothers.
11. "*Alexian Brothers of St. Louis, Mo.*"
12. "*Roman Catholic Orphan Board;*" for English speaking orphans.
13. "*German St. Vincent's Catholic Orphan Association.*"
14. "*The Ladies of the Sacred Heart.*"
15. "*The Carmel of St. Joseph.*"
16. "*Convent of the Good Shepherd.*"
17. "*The Academy of the Visitation of St. Louis.*"
18. "*The Academy of the Sisters of St. Joseph.*"
19. "*Ursuline Convent and Academy of St. Louis.*"
20. "*The Franciscan Sisters of St. Louis.*"
21. "*The Little Sisters of the Poor.*"
22. "*Sisters of Mercy.*"
23. "*St. Joseph's Convent of the Sisters of Mercy.*"
24. "*Sisters of St. Mary.*" St. Mary's Infirmary, St. Louis, Mo.

25. "*Sisters of St. Francis of Oldenburg, Ind.*"
26. "*Oblate Sisters of Providence of St. Louis, Mo.*"
27. "*The School Sisters of Notre Dame, Milwaukee.*"
28. "*Loretto Literary and Benevolent Institution of the Loretto Sisters.*"
29. "*St. Mary's Institute of O'Fallon, Mo.;*" Sisters of the Precious Blood
30. The corporate titles of the Institutions in charge of the Sisters of Charity are the following:
    "*St. Louis Hospital Association.*"
    "*St. Vincent's Institution for the Insane.*"
    "*St. Philomena's Female Orphan Asylum and School, St. Louis, Mo.*"
    "*St. Ann's Widow's Home, Lying-in Hospital and Foundling Asylum.*"
    "*Sisters of Charity of the House of the Guardian Angel, St. Louis, Mo.*"
    "*St. Vincent's Free School.*"

Corporate Titles of Churches.

1. "*The Trustees of the Parish of St. Thomas of Aquin.*"
2. "*The Trustees of St. Boniface Catholic Church.*"
3. "*The Trustees of Holy Trinity Catholic Church.*"
4. "*Polish Roman Catholic St. Stanislaus Parish.*"
5. "*St. Peter's Church of St. Charles, Mo.*"
6. "*The Board of Trustees of the Church of Ste Genevieve.*"
7. "*Holy Ghost Parish Association.*"

INDEX RERUM.

I. ACTA SYNODI.

I. Acta Synodo praevia 5
II. Acta In Synodo 10

II. STATUTA SYNODI.

Decretum Praeliminare 25

CAPUT I.

DE CULTU DIVINO.

I. De Sacris Caeremoniis 26
II. De Sacrificio Missae 26
1. Missa quotidie celebretur 26
2. Materia sit genuina 26
3. Quando sacerdotibus extraneis celebrare licet. 27
4. Quomodo agendum quoad missas fundandas. 27
5. Benedictiones Missalis ab ipso celebrante peragendae 27
6. De Prima Missa in Natali Domini 28
III. De Cultu SS. Eucharistiae 28
1. Quando liceat Benedictionem cum SSmo dare. 28
2. De Benedictione cum SSmo in Festo Corporis Christi 29
3. De Processione in festo Corporis Christi 29
4. De Expositione SSmi per Octavam Corporis Christi 29
5. De Oratione Quadraginta Horarum quotannis habenda 29
6. De Oleo Lampadis coram SSmo. 29
7. De usu luminis ,,Gas'' et ,,Electrici'' 30

IV. De Praedicatione Verbi 30
1. Sermo habendus in Festis et Dominicis saltem in Missa majore 30
2. In reliquis Missis saltem Evangelium legatur 30
3. Modus praedicandi sit simplex 30
4. A quibus abstinendum in praedicatione Verbi 31
5. Missiones singulis quinquenniis habendae 31
V. De Festorum Observantia 31
1. Quomodo Festa de praecepto celebranda 31
2. De Festis abrogatis 31
3. Festum Patronale ipso de celebrandum 31
4. Ipsius solemnitas externa in Dominicam transferenda 31
5. De Triduo Sacro 32
6. De Processionibus in Missali praescriptis 32
7. De Devotione Majali 32
8. Mense Octobri Rosarium quotidie recitandum. 32
9. Per Quadragesimam devotiones speciales habendae 33
VI. De Exequiis et Sepultura 33
1. Rituale Romanum accurate observandum 33
2. De ritu Exequiarum 33
3. Quibus deneganda sit sepultura ecclesiastica 33
4. Quomodo agendum in sepeliendis peccatoribus publicis 33
5. De exequiis parvulorum 34

CAPUT II.

DE SACRAMENTIS.

I. De Sacramentis in Genere 35
1. De Dignitate Sacramentorum 35
2. Servandum Rituale Romanum 35
3. Lingua latina adhibenda 35
4. De Vestibus sacris adhibendis 36
5. De Oleis sacris asservandis 36

II. De Baptismo ... 36
1. De Fontibus Baptismalibus ... 36
2. De Patrinis ... 36
3. De Nominibus imponendis ... 36
4. De Libro Baptismorum ... 37
5. Ubi Baptismus administrandus ... 37
6. De Baptismo privato ... 37
7. Ne Baptismus nimium differatur ... 37
8. De Neo-conversis ... 38
9. Formula pro parvulis in Baptismo adultorum 38
10. De Caeremoniis supplendis pro adultis valide baptizatis ... 38
11. Quando infantes acatholicorum baptizari possint ... 38
12. Obstetrices instruantur de Baptismo conferendo 38
13. Olea nova adhibenda ... 38
14. De Benedictione post partum ... 39
III. De Confirmatione ... 39
1. Instructio generalis de Confirmatione ... 39
2. Instructio pro Confirmandis ... 39
3. Aetas Confirmandorum ... 40
4. De Patrinis ... 40
5. De Libro Confirmatorum ... 40
6. Nomina Confirmandorum in schedula describantur ... 40
7. Pueri a Parocho adducendi ... 40
IV. De Eucharistiae Sacramento ... 40
1. Devotio erga SS. Sacramentum ... 40
2. In quibus ecclesiis asservandum ... 41
3. De SSmo in oratoriis sororum asservando ... 41
4. Ne unquam in altaris SSmi ornatu adhibeatur color niger ... 41
5. De renovatione Specierum ... 41
6. Ne unquam Sacerdotes SSum sine necessitate secum retineant ... 41

7. De deferendo SSmo ad Infirmos ... 42
8. De S. Communione distribuenda in Missis de Requiem ... 42
9. De Communione Paschali ... 42

V. De Poenitentia ... 43
1. Ne confessarii sint nimis severi ... 43
2. Commendatur „Praxis Confessarii" S. Alphonsi 43
3. Semper sint parati ad confessiones excipiendas 43
4. Confessionalia erigenda ... 43
5. Sacerdotes confiteri possunt cuicunque alieno 43
6. De confessionibus Sororum ... 43
7. Libertas fidelium confitendi cuicunque sacerdoti ... 44
8. De modo se gerendi in confessionali ... 44
9. Sigillum scrupulose servetur ... 44
Casus reservati ... 44

VI. De Extrema Unctione ... 45
1. In tempore administranda ... 45
2. Avaris non deneganda ... 46
3. Consilium de temporalibus caute dandum ... 46
4. Abstineant a testamentorum executione ... 46

VII De Ordine ... 46
1. De vocatione puerorum ... 46
2. De educatione prima ad statum clericalem ... 46

CAPUT III.

DE MATRIMONIO IN SPECIE.

1. Annue praedicandum de Sacramento Matrimonii 47
2. De investigatione praeliminaria ... 47
3. De suspensione sacerdotum non-parochianos matrimonio jungentium ... 47
4. Matrimonium contrahendum coram parocho sponsae ... 47
5. De matrimoniis vagorum ... 48

6. Decretum „Tametsi" ubi promulgatum 48
7. De aquisitione domicilii veri 48
8. De aquisitione quasi—domicilii 48
9. Copula carnalis non amplius transit in matrimonium verum 48
10. De matrimoniis famularum 49
11. De investigatione quoad impedimenta 49
12. De trina proclamatione 49
13. Proclamationes casu quo in utraque ecclesia 49
14. Dispensatio a proclamationibus quando et a quo petenda 49
15. Facultas rectorum a duabus proclamationibus dispensandi 49
16. In casu necessitatis etiam a tribus 50
17. Instructio pro Sponsis 50
18. De confessione Sponsorum 50
19. Matrimonia in ecclesia celebranda 50
20. Matrimonia cum missa celebranda 50
21. Missa pro sponsis festivo apparatu celebranda .. 50
22. Extra missam sine ulla solemnitate 50
23. Ne unquam post horam quintam P. M. 51
24. Ne matrimonia contrahantur intra tempus clausum 51
25. Declaratio nullitatis matrimonii exclusive ad Ordinarium spectat 51
26. Excommunicati novum matrimonium attentantes altera parte vivente 51

DE MATRIMONIIS MIXTIS.

27. Annue praedicandum contra matrimonia mixta 51
28. Casu quo fideles deterrendi 52
29. De cautelis a parte acatholica praestandis 52
30. Parochi partis catholicae est matrimonio mixto assistere 52
31. Solummodo in domo parochiali 53

32. Ne unquam assistant, casu quo etiam minister acatholicus ad assistentiam vocetur ... 53
33. Excommunicatio catholicorum coram ministello contrahentium ... 53
34. De reparatione scandali in casu ... 53
35. Bulla Benedicti XIV. ad has provincias extensa ... 53

CAPUT IV.

DE RECTA JUVENTUTIS INSTITUTIONE.

I. De Scholis Parochialibus ... 54
1. Scholae parochiales prope unamquamque ecclesiam erigendae ... 54
2. Quod officium negligentes merentur remotionem ... 54
3. Ne parentes mittant liberos ad scholas publicas ... 54
4. De sustentatione scholarum ... 54
5. Annus scholasticus aperiendus et claudendus cum solemnitate ... 55
6. Festum Ss. Angelorum Custodum cum benedictione puerorum celebretur ... 55
7. Pueri quotidie S. Missae assistant ... 55
8. Rectores scholas frequenter inspiciant ... 55
9. De commissionibus scholarum et librorum uniformitate ... 55
10. Pueri quater in anno ad Confessionem adducantur ... 56

II. De Prima S. Communione ... 56
1. De aetate neocommunicantium ... 56
2. Per duos annos scholas catholicas visitasse oportet ... 56
3. Praeparatio ad parochum proprium spectat, nisi pueri collegia adeant ... 56
4. De pueris parochiarum quae scholam non habent ... 56
5. Judicium de admissione puellarum ne unquam pendeat a sororibus ... 56

6. Ipsi rectores pueros instruant 57
7—12. De modo praeparandi neocommunicaturos 57–58
13—16. Prima S. Communio maxima solemnitate celebretur 58–59
17—18. De perseverantia neocommunicantium procuranda 59

CAPUT V.

DE CURA ET ZELO ANIMARUM.

1. Ne rectores sacramenta quae sunt de jure parochiali administrent alienis 60
2. De omnimoda aequiparatione parochiarum anglicarum et aliarum linguarum 60
3—4. De ecclesiis propriis advenarum eorumque liberorum 60
5. Quibus liceat ad ecclesias anglicas transire 60
6. Quomodo talis transitus peragendus sit 61
7. De relatione rectores inter et assistentes 61
8. De libris parochialibus 61
9. De censu animarum 61

SOCIETATES ET CONFRATERNITATES PIAE.

1. Ubique erigendae 61
2. Quaedam specialiter commendantur 62
3. Erectio fiat secundum leges 62
4. De salute advenarum procuranda 62
5. De sanctificatione domus et familiae christianae. 62

SOCIETATES PROFANAE. 63

SOCIETATES PROHIBITAE. 63

VARIA.

1. Prohibentur choreae noctibus sabbatorum 64
2—3. De excursionibus et conviviis publicis 64
4. Prohibentur concentus musici in ecclesia ad pecunias lucrandas 64

32. Ne unquam assistant, casu quo etiam minister acatholicus ad assistentiam vocetur 53
33. Excommunicatio catholicorum coram ministello contrahentium 53
34. De reparatione scandali in casu 53
35. Bulla Benedicti XIV. ad has provincias extensa 53

CAPUT IV.

DE RECTA JUVENTUTIS INSTITUTIONE.

I. De Scholis Parochialibus 54
1. Scholae parochiales prope unamquamque ecclesiam erigendae 54
2. Quod officium negligentes merentur remotionem 54
3. Ne parentes mittant liberos ad scholas publicas 54
4. De sustentatione scholarum 54
5. Annus scholasticus aperiendus et claudendus cum solemnitate 55
6. Festum Ss. Angelorum Custodum cum benedictione puerorum celebretur 55
7. Pueri quotidie S. Missae assistant 55
8. Rectores scholas frequenter inspiciant 55
9. De commissionibus scholarum et librorum uniformitate 55
10. Pueri quater in anno ad Confessionem adducantur 56

II. De Prima S. Communione 56
1. De aetate neocommunicantium 56
2. Per duos annos scholas catholicas visitasse oportet 56
3. Praeparatio ad parochum proprium spectat, nisi pueri collegia adeant 56
4. De pueris parochiarum quae scholam non habent 56
5. Judicium de admissione puellarum ne unquam pendeat a sororibus 56

6. Ipsi rectores pueros instruant ... 57
7—12. De modo praeparandi neocommunicaturos 57–58
13—16. Prima S. Communio maxima solemnitate celebretur ... 58–59
17—18. De perseverantia neocommunicantium procuranda ... 59

CAPUT V.

DE CURA ET ZELO ANIMARUM.

1. Ne rectores sacramenta quae sunt de jure parochiali administrent alienis ... 60
2. De omnimoda aequiparatione parochiarum anglicarum et aliarum linguarum ... 60
3—4. De ecclesiis propriis advenarum eorumque liberorum ... 60
5. Quibus liceat ad ecclesias anglicas transire ... 60
6. Quomodo talis transitus peragendus sit ... 61
7. De relatione rectores inter et assistentes ... 61
8. De libris parochialibus ... 61
9. De censu animarum ... 61

SOCIETATES ET CONFRATERNITATES PIAE.

1. Ubique erigendae ... 61
2. Quaedam specialiter commendantur ... 62
3. Erectio fiat secundum leges ... 62
4. De salute advenarum procuranda ... 62
5. De sanctificatione domus et familiae christianae. 62

SOCIETATES PROFANAE. 63

SOCIETATES PROHIBITAE. 63

VARIA.

1. Prohibentur choreae noctibus sabbatorum ... 64
2—3. De excursionibus et conviviis publicis ... 64
4. Prohibentur concentus musici in ecclesia ad pecunias lucrandas ... 64

5. Ne catholici in ecclesiis acatholicis musicae inserviant ... 65
6. Ne fungantur catholici patrinorum munere in baptismis haereticorum ... 65
7. Ne catholici templa haereticorum adeant ... 65
8. In matrimoniis catholicorum catholici testes adhibeantur ... 65

CAPUT VI.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

1—2. De vestitu Clericorum ... 66
3. Quae clericum dedeceant ... 66
4. De fraterna charitate inter clericos ... 66
5. De culpa et censura abutentium ephemeridibus contra auctoritatem ecclesiasticam ... 67
6. De litibus civilibus clericorum ... 67
7. Junioribus de clero subeundum examen per quinquennium ... 67
8. De conferentiis clericorum ... 68
9. De societate pro sustendandis clericis infirmis ... 68
10. De associatione sacerdotum a Redemptione e Purgatorio nuncupata ... 68

CAPUT VII.

DE RERUM TEMPORALIUM ADMINISTRATIONE.

I. De Aedificandis et Reparandis Ecclesiis et de Aedibus Ecclesiasticis ... 69
1. Ne quis proprio nomine retineat bona ecclesiastica ... 69
2—3. Erectio et Reparatio aedium ecclesiasticarum ne fiat sine licentia Ordinarii ... 69–70
4. De debitis ecclesiae contrahendis ... 70
5. De assecuratione aedium ecclesiasticarum ... 70
6. Quotannis ratio reddenda de statu ecclesiae ... 70
II. De Reditibus ... 70

III. De Salariis Rectoris et Assistentium 71
IV. De Cathedratico 72
V. De Stipendiis et Stolariis 72
VI. De Collectis ab Ordinario praescriptis 73–74

III. APPENDIX.

A. Collectio opportuna variorum Decretorum S. Sedis.

I. Decisiones selectae abbreviatae.

I. Circa SS. Eucharistiam 77–78
II. Circa Sacrificium Missae 78–80
III. Circa assistentiam erga moribundos 80
IV. Circa ecclesiasticam sepulturam 81
V. Circa matrimonium 82
VI. Circa facultatem absolvendi tempore navigationis 82

II. Decreta recentiora in extenso.

A. De Sacrificio Missae.
I. De Missa conformi Officio Ecclesiae 83
II. Decr. Orationum in Missis defunct. 85
III. Missa vot. SS. Cordis Jesu 87
IV. De Cantu in M. priv. in lingua vernacula 87
V. De Vino in Missa adhibendo 88

B. De matrimonio.
I. De Copula in ordine ad matrim. clandest. 93
II. Super Dispensationibus matrimon. 95
III. De copula incestuosa 102
IV. De Missa pro Sponso et Sponsa 104

C. De Poenitentia.
I. De Absolutione Equitum Pythiae etc. 105
II. De procuratione abortus 107
III. De absolutione complicis 109

D. De sepultura.
Circa Corporum Cremationem 109

E. De confraternitatibus.
I. Dispens. a lege distantiae in confraternitatibus ejusdem tituli in ecclesiis divers. linguarum.. 111
II. Derogatur eadem lex pro magnis civitatibus 112

F. De erectione Stationum Viae Crucis. 113

G. De Vesperis in ecclesiis mere parochialibus. 114

H. De quibusdam devotionibus a SS. Pontif. ordinatis.
I. De mense Martio et festo Sti Joseph 114
II. De novendialibus ante festum Pentecostes 115
III. De Rosario mense Octobri quotidie recitando. 116
De additione Orationis in hon. S. Joseph 118

I. Decreta generalia de prohibitione et censura librorum 119

III. FORMULAE.

A. Modus excipiendi Professionem Fidei cath..... 131

B. Ordo absolvendi ab Excommunic. in foro externo 139

C. Formulae variae 140
Form. brevissima pro petit. dispensationum..... 140
De proclamationibus in altera ecclesia factis 141
De promissionibus in matr. mixtis 141
Pro reparatione scandali 142
Formulae pro erectione confraternitatum etc..... 145

IV. FACULTATES ORDINARIAE ET EXTRAORDINARIAE.

A. Facultates ordinariae nostris sacerd. concessae 146

B. Facultates extraordinariae, cum decretis..... 150

V. PRIVILEGIA.

1. Conceduntur varia privil. et facultates 157
2. Missa cantata de Requiem in duplicibus 158
3. Variae Indulgentiae 159
4. Formula pro parvulis in Baptismo adultorum 161
5. Missa privata de Requiem in duplicib. bis in mense. 162
6. Quoad benedict. et asservationem SS. Sacramenti..... 162
7. Oratoria etc. pro Ecclesiis habenda quoad indulgentias..... 163
8. Confessio bis in mense pro lucr. Indulgentiis..... 164
9. De translatione quorumdam festorum..... 164
10. Thurificandi in Missis cantatis..... 165
11. Celebrandi Missam de Requ. bis in hebdom..... 166

VI. TITULI LEGALES INSTITUTORUM ECCLESIASTICORUM. . . 167

For D 41 S. 146

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
C001
BX8351896.A21897
SYNODUS DIOCESANA STI. LUDOVICI TERTIA
3 0311 00056 3358

BX
835
1896
c.1
38726
AUTHOR
.A2
Catholic Church in the U.
St. Louis, Mo. (Diocese)
Synod, 1896.
TITLE
1897
SYNODUS DIOCESANA STI. LU
-DOVICI TERTIA:

38726
c.1

3 0311 00056 3358